JOSEPHI
MARIANI PARTHENII

S. J.

COMMENTARII.











ROMAE
EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI
AN. CIƆ IƆ. CC. LXXII
SUPERIORUM PERMISSU.



DEIPARÆ VIRGINI

SINE LABE PECCATI ORIGINALIS CONCEPTÆ
VIRGINUM CHORUM DUCENTI
AC SS. VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS
CÆCILIÆ IN PRIMIS
TUM AGNETI EMERENTIANÆ BIBIANÆ DEMETRIÆ
RUFINÆ SECUNDÆ DOMITILLÆ MARTINÆ
PRISCÆ JUSTINÆ SERAPHIÆ DIGNÆ EMERITÆ
PETRONILLÆ PRAXEDI PUDENTIANÆ BALBINÆ
AC RELIQUIS
QUÆ ROMANAM URBEM
AUT MARTYRIO AUT VIRGINITATE
AUT UTROQUE ORNAMENTO
CONSECRARUNT ILLUSTRARUNTQUE
OPUSCULUM HOC COMMENTARIORUM SUUM
JOSEPHUS MARIANUS PARTHENIUS
SOC. JESU
VOLENTI AC DEVOTO ANIMO
DICAT ET CONSECRAT.





*Multos veterum velut inglorios & ignobiles oblivio obruet;
Posteritati narratus & traditus, superstes erit.*
Tacit. in Agric. c. 46.

PAU-

PAULUS ANTONIUS RAFFAGNI

SOCIETATIS JESU

In Provincia Romana Præpositus provincialis

CUM Opus, cui titulus *Josephi Mariani Parthenii S. J. Commentarii* ab uno ex noſtræ Societatis Sacerdotibus conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverit, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate nobis a R. P. Laurentio Ricci Præpoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos perrinet, videbitur. In quorum fidem has ilteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ 14. Februarii A. MDCCLXXII.

Paulus Antonius Raffagni.





IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D' Jordani Patr. Antioch. Vicesgerens.

QUÆ dixi generatim de prima hujus Operis parte jam typis vulgata, quæ Actiones continet, eadem videntur tribuenda huic etiam alteri, quam jussu Reverendissimi P. S. P. A. Magistri summa cum diligentia ac voluptate perlegi, nimirum, *Josephi Mariani Parthenii S J. Orationes; & Commentarios*. In hanc autem partem solertissimus, & a facultate Oratoria instructissimus Auctor, qui nihil habuit potius, quam suorum auditorum progressum, multa erudite, copiose multa, scienterque congessit, eaque præsertim, quæ ituris ad eloquentiam adolescentibus viam facere poterant planiorem & expeditiorem, quod egregie præstitit tribus præsertim orationibus Paræneticis, totidemque aliis, quas inscripsit de contrahenda Encyclopædia. Accedit nihil ocurrisse mihi in ejusdem Operis lectione, quod a Fide Orthodoxa, bonisque moribus sit alienum. Quare arbitror Reipublicæ litterariæ, bonarumque artium incremento publica luce donari posse, si videbitur &c. Datum Romæ III. nonas Sept. A. MDCCLXXII.

Jo. Baptista Gautier Linguæ & Humanitatis Græcæ in Arhigymnasio Romano Professor Emeritus.

O*Rationes*, & *Commentarios* ab erudito Viro Josepho Mariano Parthenio S. J. latine conscriptos tanta nitent puritate sermonis, tantamque eloquentiæ Majestatem præseferunt, ut plurimum ad Litterariæ Reipublicæ commodum, & ad vindicandam Italiæ gloriam conferre possint. Cumque nihil a Catholica Religione, & a recta institutione morum alienum contineant; dummodo Reverendissimo Sacri Palatii Magistro, cujus jussu mandatove ea diligenter attenteque perlegi, visum fuerit, publicæ expectationi in vulgus edenda censeo. Datum Romæ in Abatia S. Praxedis die 30. Julii A. MDCCLXXII.

D. Rodesindus Androsilla Ab. & in Romano Archigymnasio Eloq. & Histor. Professor.

IMPRIMATUR.

F. Thomas Augustinus Richinius Ord. Præd. S. P. A. Mag.

EDI-

EDITOR

LECTORI BENEVOLO.

JAM ad tertium volumen, Deo ac Deipara bene juvantibus, Parthenii nostri pervenit labor. Continet volumen hoc Commentarios a Parthenio exaratos, non quidem omnes, plures enim confecit, sed ex omnibus electos atque excerptos. Opus enim absolvere festinans, & vero etiam impensa necessario in operis impressione facienda deterritus tot satis habuit edere, quot ad justam voluminis molem conficiendam, sive potius explendam esse possent. Sic enim in edito totius operis specimine se facturum ipse recepit his verbis; Tertium Volumen aliquot Doctorum Virorum vitas continebit, quod mole duobus primis contractius, si cum Electricorum volumine copulabitur, justam molem reliquorum exæquabit. *Electricorum autem opus carmine exaratum minime a Parthenii Orationibus visum est sejungere, ut ex eo quantum in poetica etiam facultate Parthenius excellat, judicari possit. Quare rem gratam bonarum artium cultoribus, & humaniorum litterarum studiosis nos facturos existimavimus, si omnia, quæ sive prosa sive carmine scripsit Parthenius, tribus voluminibus comprehensa a nobis fuissent iisdem exhibita. Quæ vero ante trium horum voluminum editionem de Parthenio nostro in lucem prodierunt,*

Parthenius ipse pro suis vix agnoscit. Eá enim juvenili quodam effervescentis ingenii æstu subito effusa, neque vero voluntate, sed necessitate vulgata, minime ei digna gravioris hujus ætatis atque diuturnioris exercitationis visa sunt. Quare in hac editione illud Auctor curavit, ut eadem, quantum quidem eniti ingenio potuit, ad quandam perfectionem exigeret, de qua ii judicare poterunt qui facta contentione hæc cum illis comparaverint.



DE

DE BERNARDINO PERFETTO POETA LAUREATO.

COMMENTARIUS I.



Uam olim Bernardini Perfetti Senensis Poetæ Laureati vitam Italico ſermone ſcripſi, & in manus hominum venire paſſus ſum, nunc eandem in Latinum libet convertere; ita tamen, ut non verbis verba appendam, ſed tantum quendam narrationis ductum ſequar. Quod ſi ab hoc diſceſſero, &, mutato rerum ordine, aliqua addidero, nonnulla ademero; & Latinam hanc interpretationem aliam prorſus ab Italico exemplari evadere contigerit, id mihi nolim vitio dari. Hoc enim jure is eſſe debet, ut arbitrio ſuo utatur, qui in alium ſermonem non aliena ſcripta vertit, ſed ſua. Conſilium autem hoc a me idcirco ſuſceptum fuit, quia neſcio quam Latinæ litteræ rebus, quæ memoriæ traduntur, conferunt dignitatem, quam illis impertiri vernaculæ non poſſunt. Præterquamquod Bernardini Perfetti in optimis ſtudiis excellentia plane digna exſtitit, cujus notitia ad exteras etiam gen-

tes

tes perveniret ; quod nemo assequi potest , nisi ea qui lingua scribat, quæ nusquam gentium ignota sit ac peregrina.

II. Natus est Bernardinus Perfettus Senis, urbe Etruriæ nobilissima, & quondam libera; sed quæ libertate amissa, nihilo tamen minus suam retinuit dignitatem, ut inter principes non Etruriæ solum, sed etiam Italiæ totius urbes numeretur. Non hoc ego loco Senarum ornamenta persequar, quæ & plurima & maxima sunt, & multorum scriptis ac linguis celebrata. Floruit enim semper hæc urbs incredibili quadam virorum, tum sanctitate, tum doctrina, tum etiam gloria rei militaris illustrium copia, ac propemodum redundantia. Inter tot ornamenra unum commemorabo, quod mihi quidem hujus urbis præcipuum videtur, nec omnino reticendum. Eximio enim studio Sanctissimam Dei Genitricem ac veneratione prosequitur. Ei dicata civitas est communi Senensium & solemni nuncupatione. Exstat in Æde principe pulcherrimum Sacellum, recentiori quidem opere peregrinis marmoribus ab Alexandro VII. cive Senensi exornatum, sed jam inde a vetustissimis temporibus Virgini Deiparæ hoc titulo dedicatum; *Advocata Senensium*. Hæc mihi prætermittenda minime visa sunt, tum quia peculiari modo urbem hanc illustrant, & civium pietatem commendant, tum quia eo de viro scribere instituo, qui singulari piæ

piæ devotionis ſenſu erga Sanctiſſimam Dei Genitricem afficiebatur, ut noſtrum hunc Commentarium legentibus patebit. Hanc, quam diximus, urbem tot ornamentis commendatiſſimam nactus eſt Patriam Bernardinus Perfettus, & in lucem editus anno a reparata ſalute MDCLXXI. VII. Id. Septemb., qui dies feliciſſimum, & mortalibus omnibus maxime ſalutarem Beatæ Mariæ Virginis diem natalem præcedit, ut vel ex hoc captari omen potuerit de ſingulari ejus in Divinam Matrem & ſtudio, & pietate. Parentes habuit Equitem Petrum Angelum Perfettum, & Urſulam Amerighiam conjuges pari nobilitate, & chriſtianis virtutibus, quibus inſigniter excelluerunt, ſpectatiſſimos.

III. Mira de ultima Bernardini infantia narrantur, & prorſus inuſitata. Menſes tantum quinque natus non jam balbutire, ſed explicare verba cœpit; undecimum vero menſem vix exorſus ſalutationem, quam *Angelicam* dicimus, & memoria continuit, & recte atque expedite pronunciavit. Illud vero multo mirabilius, quod illa ipſa ætatula ex ejus ore ſententia excidit, cujus contexta ſic erant verba, ut non ſolum verſus conficerent, ſed in eundem ſonum, quem vernaculo nos vocabulo *Rimam* appellamus, deſinerent. Addam etiam rem multo ſuperioribus admirabiliorem, & quæ omnem prope admirationis modum excedit. Vix decimum ab ortu & ſeptimum inchoa-

choarat mensem, cum Sacerdoti ad Aras operanti recte atque ordine respondere didicit, & vero auditus est. Quæ res in Leonardo Marsilio Senensi Archiepiscopo, qui forte præsens adfuit, risum quidem excitavit, sed summam admirationem, exspectationemque de futnra pueri excellentia commovit. Ut sensim adolevit, alia edere in dies acerrimi cujusdam ingenii documenta non destitit, ut nihil non magnum parentes de eo sperare possent sui.

IV. Quam vero ad Poesim a natura comparatus, atque adeo effictus esset, novo apertissimoque indicio declaravit. Septennis enim primum poema confecit ex eorum genere, quæ vulgo a nobis *Sonetti* appellantur. Non raro cum mensis conviva adhiberetur, & Matri assideret, sumpto in manus poculo, repente, accumbentibus rei novitate obstupefactis, non sine versu propinabat. Cantitabat frequenter carmina, alias severa, jocosa alias, ut improviso, quo corripiebatur, animi impetu impelli se agique sentiebat; ut jam inde illum ipsum animi impetum, quo agi postea solitus fuit, posses agnoscere. Nec vero non etiam quanta, quamque tenacis memoriæ vi præditus esset, novis significationibus atque indiciis ostendit. Hac ipsa, quam nondum prætergressi nos in scribendo sumus, ætate orationem satis longam sibi a Matre traditam quam celerrime memoriæ mandavit, & incredibili felicitate in conventu pronunciavit.

Juf-

Juſſus neſcio cujus partes in Comœdia quadam ſupplere, vix ſumpto ad ea, quæ ſubinde agere in ſcena debebat, memoriæ tradenda ſpatio, & partibus, quas ſuſceperat, & omnibus, qui aderant, egregie ſatisfecit. Hæc certe admirabilia ſunt, & prorſus inaudita, ex quibus cum in omnibus liberalibus ſtudiis, tum in poetica præſertim facultate ejus excellentiæ, ſi vita ſuppeditaſſet (minus enim vivaces exiſtimantur, quorum præcoces adeo exſiſtunt fructus, certa capi conjectura potuit.

V. His rebus factum eſt, ut liberaliſſime inſtitueretur, ne, quam de ſe extraordinariam commorat, inſtitutione non accedente, poſtea falleret exſpectationem. In hanc curam præcipue incubuit Mater (Patre enim adhuc infans orbatus eſt), & quo certius bonis moribus & bonis artibus erudiretur, Patrum S. J. curæ fideique traditus eorum gymnaſia frequentare cœpit. Qui ingenii ſingularis, & ſingularis item memoriæ vi, præditus eſſet, non ei admodum difficile fuit, quæ tradebantur a Magiſtris, & intelligentia percipere, & memoria retinere. Itaque factum eſt, ut brevi condiſcipulos ſuos, quos ætate nondum aſſequebatur, ſcientia longe anteiret. Hoc modo e tricis Grammaticæ ſe quam citiſſime explicavit, atque expeditus & alacer ad audiendum Rhetorem acceſſit. Hic vero, confirmata aliquantulum ætate, multo evidentius patuit, qualis qnantuſque Poeta eſſet evaſurus.

VI. Qui

VI. Qui ad Italicam se Poesim natura ipsa ferri potissimum sentiebat, Præceptoris tamen hortatu plurimum in Latina addiscenda operæ posuit, optimis auctoribus & legendis & imitandis. Qua in re Magistro suo utilia consulenti se docilem præbuit, & acres illos, quibus ad Italicam Poesim vehementissime incitabatur, stimulos retudit atque compressit. Sibi enim persuaderi passus est a Latina Poesi, & Poetis ea in arte principibus exordiendum esse, ab iisque sensim ad excellentiam progrediendum. Hi enim uberrimi fontes sunt, quorum *pieriis aquis* Poetarum large *irrigantur* ingenia. Ex his petendæ illæ veneres atque exprimendæ, quæ cujusque generis carmina exornant maxime atque commendant. Qui secus se gerunt, ac sentiunt, male sibi, male ipsi Poesi Italicæ consulunt. Nunquam enim, his contemptis Magistris, perfectum aliquid ac numeris omnibus absolutum in poetica facultate exsistet. Bernardinus igitur, qui, uti acerrimo ingenio, ita præstanti judicio pollebat, jam tum sibi ad summam in Italica Poesi laudem ea via enitendum putavit, quam excellentissimi quique Itali Poetæ primum insistentes vestigiis tritam suis nobis reliquerunt. Itaque Latinos Poetas amavit plurimum, seque in Latina Poesi multum exercuit. Nec vero dubium, quin, si eam postea excoluisset, hac laude commendatissimus evasisset. Sed, quo amore in Italicam ferebatur, atque adeo rapie-

rapiebatur, is effecit, ut, Latina relicta, illi uni se dederet, illam unice excoleret, ad ejusque unius excellentiam eniteretur.

VII. Exactis in domo paterna primis adolescentiæ annis, in Collegium Ptolemæum, quod Senis sub Patrum S. J. regimine constitutum, magna nobilissimorum adolescentium frequentia tunc florebat, translatus est, quo novum hoc ad liberaliorem ejus institutionem & adjumentum & incitamentum accederet. In hoc Collegium Bernardinus admissus dici non potest, quantum ex ipsa tot ingenuorum contentione enituerit. Unus omnes & ingenii præstantia, & memoriæ vi, & omnigenæ eruditionis studio facile vicit ac superavit. Verum, etsi inter electissimos nobilissimi illius convictus Alumnos unus maxime explendescebat, tanta tamen in eo comitas fuit, tanta in tantis ornamentis modestia, ut non solum omnium oculos ad se attraxerit, verum etiam, quod multo difficilius est, animos sibi devixerit. Nemo erat, qui eum non suspiceret plurimum, nemo, qui plurimum non diligeret, ut dubium esse posset, utrum amor existimationem vinceret, an illum ista superaret. His de causis non iniquo animo æquales ferebant Perfettum sibi anteponi; immo vero omnes unum ultro omnibus anteponebant. Tot enim ac tantis a natura ornamentis supra communem sortem ditatus erat, nulla ut ulli cum eo de præstantia ingenii atque excellentia doctrinæ posset esse contentio.

VIII.Fo.

VIII. Eodem in Collegio Philofophiæ operam dedit; cum Philofophiæ ftudio ftudium Jurifprudentiæ conjunxit, quibus in facultatibus magnos progreffus fecit. Eodem tempore Hiftoriam perluftravit univerfam, quo eruditior in dies evaderet, & ad illud, quod meditabatur, munus inftructior effet atque paratior. Neque vero Poefim colere prætermifit, a qua ejus animus divelli non poterat. Tanta autem, ac tam diffimilia ftudia quod conjunxerit, non eft fane, cur quifquam reprehendat. Is enim erat, qui omnibus uno tempore poffet egregie fatisfacere. Quod fi exemplum imitari quis vellet, monendus effet; Non, quid quifquam fecerit, confiderandum; fed, quid cujufque vires ferant, certo confilio providendum. Neque enim, quod uni licet, conceffum eft omnibus.

IX. Cum ad annum ætatis fuæ decimum fextum perveniffet, nobiliffimi Ordinis S. Stephani infignibus decoratus eft, & Eques creatus. Non ita multo poft in publico Senenfi Gymnafio, editis fingularis doctrinæ argumentis, in utroque jure Doctor renunciatur. His ornamentis infignitus, & abfoluto cum laude in Collegio Ptolemæo ftudiorum fuorum curriculo, paternam in domum remigravit, ubi cnm fui juris effet, & plurimum otii haberet, diverfis ftudiorum generibus totum fe dedidit, illudque contendit, & vero affecutus eft, nihil ut prope eorum, quæ fciri poffunt, ignoraret. Reliquis vero ftudiis Poefim antetnlit,

tulit, ad quam natura ferebatur, quamque sibi veluti carissimam sponsam, jam inde a primis adolescentiæ annis desponderat. Sed antequam de Poeticis ejus studiis a nobis ex nostro potissimum instituto dicatur, visum est reliqua, quæ ad ejus vitam pertinent, expedire. Annos natus viginti quinque uxorem duxit, & Mariam Franciscam Salvaniam, singulari virtute eximiisque dotibus ornatam fœminam sibi matrimonii jure devinxit, cum qua sanctissime & conjunctissime vixit. Ex ea tredecim suscepit liberos, mares quinque, fœminas octo. Optimus paterfamilias fuit. Filios liberaliter educavit, & ad omnem pietatem instituit, nec paternum ullum erga eos officium prætermisit. Tres utriusque sexus acerbo funere in ipsa puerili ætate festinantior mors oppressit; quarta fœmina orbatus est, annum ea cum ageret decimum septimum; ejusque mortem ægerrime tulit, & elegantissimo carmine deflevit. Reliqui ejus liberi, cum hæc ipsa scribimus, etiamnum superstites sunt, patriæ virtutis hæredes.

X. Quod vero ad munera, quæ ei delata fuerunt, attinet, iis egregie functus est, & utilem in eorundem functione patriæ navavit operam. Jurisprudentiam publice docuit, eandemque cum Jure Canonico conjunxit. Evecto ad Episcopalem Crasseti Cathedram Bernardino Peccio, qui has facultates tradebat Senis, ei a Cosmo III. Magno Etruriæ Duce,

ce, qui probe cognitam Perfetti in utroque jure doctrinam habebat, sufficitur. Quo munere illi tradito, non tam ipse novis proventibus ditatus est, quam gravissimo summi illius Principis judicio honestatus. Quandiu hanc provinciam tenuit, tandiu ejus partes abunde explevit. Magna discipulorum celebritate floruit, inter quos commemorandus est Princeps Joannes Theodorus Maximiliani Bavariæ Ducis filius, qui postea S. R. E. Cardinalis creatus, & Episcopus primum Ratisbonensis, tum Frisigensis, ac demum Leodiensis, renunciatus fuit. Hic cum se in Etruriam ac Senas contulisset, cui urbi Violantes Bavara Ferdinandi Magni Etruriæ Principis uxor tunc vidua præerat, a Violante ipsa Perfetto in disciplinam traditus est, ut tanto sub Præceptore & Jurisprudentiam, & Jus Canonicum edisceret. Suis certe partibus Præceptor non defuit, & illustrem erudire discipulum non prætermisit. Jurisprudentiam quoque in Collegio Ptolemæo magna cum laude docuit, & non minore discipulorum suorum profectu. Hæc fere sunt munera, quibus functus est, multo majorem certe navaturus Patriæ operam, si ei per studia sua licuisset. Neque vero minus utilis existimandus est civis. Patriam enim honestavit quam maxime; urbes autem non solum opera eorum indigent, qui eas consilio, & muneribus obeundis juvent, sed etiam illorum ornamento, qui ingenio ac sapientia easdem illustrent.

ſtrent. Hac certe in re Patriæ non defuit Perfettus, & quidquid operæ, ſi conceſſum foret, in illam collaturus fuiſſet, hoc nominis ſui celebritate, quæ in Patriam ipſam redundavit, abunde ſupplevit. Præter quam quod aſſidue in Patria reſidere non potuit. Etenim a multis certatim urbibus expetitus Italiam obire, ac longiſſima itinera, & vel in ipſam Germaniam ab Electore Bavaro evocatus, ſuſcipere coactus eſt.

XI. Jam, ut ad Poetica ejus ſtudia veniamus, quæ multo potiſſima Commentarii hujus noſtri pars eſſe debet, ad ea primum ſummam doctrinam attulit, ſine qua Poeſis nulla eſt; ex multiplici enim rerum maximarum ſcientia atque eruditione effloreſcat oportet. Hic ego eum in omni arte atque doctrina non mediocriter verſatum ſi dicam, minus, quam debeam, prædicem. Singularia enim & certiſſima excellentis ſapientiæ in omni facultate edidit documenta. Legebat multum, nec facile libros de manu deponebat. Quæ vero ſemel legerat, ita memoriæ infixa hærebant, nulla ut diuturnitate temporis elaberentur. Hac memoria cum uteretur, in hanc, tanquam in theſaurum, copiam cognitionum prope infinitam congeſſit, unde, quod uſus, & vel ſubita flagitaret occaſio, repente depromeret. Itaque Hiſtoriam cognovit univerſam; eamque non generatim tantum, ſed ſeparatim in regna, nationes, ac provincias deſcriptam. Illam quoque naturalis Hiſto-

riæ partem, quæ stirpes, & animantia complectitur a se noluit ignorari. Abditiora ac reconditiora Mathematicorum & Metaphysicorum studia penitus sibi cognoscenda esse duxit. Neque vero Theologiæ ipsius cognitionem a se alienam putavit. Ipsa leviora etiam studia ab eo minime negligenda existimavit, qui se palam in conventu de rebus omnibus responsurum profitebatur. Quid multa? ulla sine assentationis nota videor mihi de tanto viro vere affirmare posse, nihil eorum, quæ doctrina aliqua, aut arte paullo liberaliore continentur, ejus scientiam fugisse. Quapropter nulla ei res unquam in percunctando posita fuit, quæ homini nova atque inaudita esset, & de qua non subito posset scientissime copiosissimeque dicere.

XII. His multiplicis doctrinæ atque omnigenæ eruditionis præsidiis accessit poeticum plane ingenium, sine quo nihil hac in arte, quod laude dignum sit, homini tentare fas est. Omnino in eo inerat illa inflammatio animorum, & poeticus furor, a Platone & Democrito in Poetis requisitus, quo vere agi Poetæ, & extra se rapi dicuntur. Qui quidem concitatissimi effervescentis animi motus nisi a natura inditi sint, frustra eos arte commovere aggrediaris atque excitare, ut plane constet, quod communi sermone tritum est, *Poetam nasci*, *Oratorem fieri*. Præter illam, quam diximus, inflammationem animi, & furo-

furorem, acerrima erat in eo cogitandi commentandique vis, qua fiebat, ut ſtatim, quæ dicenda erant, occurrerent, & momento temporis ordine diſpoſita poeticis inſignibus ornarentur. His copiis inſtructus, atque adeo locupletatus, & ipſa non hortante modo, ſed etiam incitante natura, ad poeticam artem acceſſit.

XIII. Dicendum nunc qua potiſſimum occaſione ad ſubitæ Poeſis genus impulſus fuerit. Florebat Senis eo tempore, eximia ingenii fama, Joannes Baptiſta Bindius Poeta extemporalis. Hic eo plurimum Poeſis genere delectabatur, quod a Franciſco Berno, qui in eo princeps excelluit, *Berneſcum* dicitur. Humile quidem, & ad familiarem ſermonem quam maxime accedens hoc poetici carminis genus eſt, ſed idem hac ipſa de cauſa longe difficillimum. Abundat enim lepore quodam ſuo, & nativa quadam ſimplicitate commendatur, quæ ei incredibilem conciliat venuſtatem. Duas autem res inter ſe componere ſic, & temperare, ut humilitas dignitati non officiat, adeo arduum ab intelligentibus judicatur, ut pauci admodum hoc in genere carminis excellentes habeantur. Audiebatur hac de cauſa ſumma admiratione Bindius, & mirificis in cælum laudibus efferebatur. Audivit hominem Perfettus; audivit & ſuſpexit; nec vero non ejus animum ſubita quædam & acris pupugit æmulatio. Acceſſit & aliud



aliud incitamentum, quo Perfettus & acriter excitatus fuit, & incredibilem in modum ad excolendum repentinæ Poeſis genus inflammatus. Cum urbem, æſtivo nocturno tempore, perambularet, magna ſtipatus amicorum caterva, improviſo animi impetu correptus earum nobilium Familiarum, quarum ædes forte prætergrediebatur, laudes extemporali carmine celebrare cœpit. Hoc autem tanta felicitate præſtitit, ut, obſtupeſcentibus omnibus, & leporem carminum,& promptam ingenii vim demirantibus, ſummis laudibus cumulatus fuerit, & prope triumphalibus acclamationibus domum uſque ſuam deductus. His initiis ad famam extemporalis Poetæ, exiſtimationemque omni opinione majorem evaſit.

XIV. Verum, etſi ad omne Poeſeos genus ſe a natura elaboratum probe noſſet, videretque nihil ſibi, eorum deeſſe, quæ ad ſubitæ etiam Poeſeos diſcrimen ſine temeritatis nota ſubeundum requirebantur, conſilio tamen uſus hanc tentare publice aleam prius noluit, quam privatim poeticæ hujus ipſius facultatis ſuæ periculum faceret. Admiſſi primum amici, qui aliquid, de quo ex tempore verſus effunderet, proponerent, tum alii ſubinde, atque alii, & ad interrogandum ſubmiſſi, & ad audiendum introducti. Res e ſententia ſuccedebat, & frequens exercitatio hominem alias promptum confirmabat. Itaque cum

nova, quæ in dies capiebantur, tentamenta, certam ſpem de felici exitu attuliſſent, tandem amicis ipſis ſuadentibus, atque adeo impellentibus, e privatis latebris emerſit, & in publicum conſpectum hominum lucemque progreſſus eſt; tantumque ingenium atque exercitatio valuit, ut Perfettus ipſe, non ſolum publico ſe tuto credere poſſe exiſtimarit, ſed nullum etiam ſibi in poſterum vel lectiſſimum convenrum refugiendum duxerit ac reformidandum.

XV. Atque hic, dicam primum, quo ſe modo in edendis ex tempore carminibus gereret, dicturus ſubinde de ſingulari plane atque admiranda poetica ejus hoc in ſubito genere fundendorum carminum facultate. Sedebat ipſe loco edito, ut commodius a circumfuſa multitudine audiri poſſet. Aſſidebat Citharœdus, qui hos aut illos, pro ejus imperio ac libito, & pro multiformium varietate carminum varios faceret modos. Verſus cantando pronunciabat, quod eo valebat, ut & aliquid ad cogitandum haberet ſpatii, & numeroſius carminum inciderent pedes. Sono autem excitabatur plurimum, & ad pedum ipſorum menſuram certius dimetiendam multum juvabatur. Frigida inter canendum uti ſolebat, ad fauces nimirum recreandas, & ad nimium fervorem, quo incendebatur, reſtinguendum. Tria fere ex diverſis facultatum & artium petita generibus ei in percunctando ponebantur, quibus cum ſatisfeciſſet, quartum addebat carmen,

men , quo ſic illa , de quibus dixerat , etiamſi inter ſe maxime diſſidentia eſſent , illigabat , ut aliud ex alio quam aptiſſime conſequeretur , & unum quiddam ex multiplici rerum vel disjunctiſſimarum copia coaleſcens efficerent. Poſtremum hoc carmen , & avidius expeti ſolebat , & libentius audiri , in quo ſecum ipſe Poeta certare videbatur , ut , cum in prioribus Poetas viciſſet omnes , in hoc ipſe ſe ſuperare exiſtimaretur.

XVI. Nullum exſtitit carminum genus adeo implexum & difficiles exitus habens , a quo refugeret , & quo nullo diſcrimine non uteretur . *Rima* , quæ appellatur a noſtris , & quæ Poetarum ingenia torquet , & in maximas perſæpe conjicit anguſtias , ita ſemper ei præſto fuit , ut nunquam illi ſua ſponte non occurrerit . Quod quam prope miraculo habendum ſit , experti norunt , qui eam ſæpe non exauditi arceſſunt , ut propterea una cum verbis ſententiam invertere , & non raro ſententiam ipſam cum alia commutare adigantur . Perfettus contra , ut ſe mente ac cogitatione in verſum conjecerat , verba ſimiliter deſinentia prompta ad nutum , ac plane obſequentia habebat , perinde quaſi ea in re nihil operæ poneret . Vere illud , & ſine aſſentatione dici videtur poſſe , Perfetto vel non cogitanti ſponte ſua verſus occurriſſe , ex ejuſque ore effluxiſſe ſic , ut verſus ipſi ſibi viam , unde emergerent , ultro aperirent . Uſus certe , & aſſidua exercitatio ad hoc plurimum contulit ; ſed tamen ;

men, summo sine ingenio, & divina quadam' ad hoc ipsum habitudine, res profecto tanta perfici non potuisset.

XVII. Inter omnia (hoc autem exterorum gratia, quibus potissimum scribo, ut jam inde ab initio significavi, dictum sit) inter varia Italici carminis genera, admodum difficile Heroicum, sive Epicum habetur, quod, præter styli granditatem, memoriæ vim requirit maximam, propter varios carminum exitus, & certa lege definitos. Hoc enim carmen ita circumscriptum est, ut quibusdam veluti sedibus contineatur, quæ *Octavæ* appellantur, propterea quia versus octo comprehendunt, quorum postremæ voces sic alternant, ut novissima vox primi versus, novissimæ tertii & quinti, novissima vero secundi novissimæ quarti, & sexti versus sono respondeant; duo autem postremi versus sibi invicem assonent, atque eodem exitu numerose claudantur. In hac vero tam difficili versuum eo, quo diximus, modo alternantium & numerose cadentium coagmentatione, non solum feliciter excelluit, ut ne syllaba quidem una deficiente versus ipsi claudicarent; sed hanc ipsam difficultatem incredibiliter exaggeravit. Sic enim consequentem *Octavam* ordiebatur, ut eodem verborum exitu, quo priorem concluserat, uteretur. Itaque, tametsi quinque omnino vocabula similiter desinentia necessario in promptu habenda essent, nihil tamen unquam a quo-

quam,

quam, etiam si auditum acueret, atque attentionem intenderet, in Perfecti carminibus notatum est hians, nihil discrepans, nihil absonum, quod aures feriret; immo vero omnia animadversa perfecte exacta ad mensuram, ad leges, ad sonum. Quod de heroico carmine diximus, idem de brevi illo epigrammate, quod *Sonetto* appellamus, intelligendum est, in quo, ut fere in omni Italico carmine, certa lege variant exitus, & vocum incidunt percussiones. Sed illud etiam in hoc erat singulare, quod, si quando ad canendum brevi hujusmodi poemate provocaretur, non ante ad rem propositam veniebat, quam eodem Poeseos genere usus humanitatis ergo responderet, ita tamen, ut se ad eosdem, quibus fuerat provocatus, verborum exitus adigeret. Præcidam. Nemini tam in sua potestate est loqui, quam fuit Poetæ nostro versus fundere, quos formabat ad arbitrium, detorquebat, quo vellet, & etiam non arcessitos ad rem, ad usum, ad omnem opportunitatem quam promptissimos habebat.

XVII. Neque vero magis laborabat in rebus, propter eximiam eruditionem, & singularem in omni facultate & doctrina sibi quæsitam, ut diximus, summo studio & non intermissa legendi contentione præstantiam. Nihil unquam tam longe e penitioribus facultatum ipsarum recessibus erutum, cujusquam arbitratu, ab eo quæsitum fuit, quo, ne tantisper qui-

quidem, argumenti ſive novitate perculſus, ſive difficultate deterritus commoveretur. Ejus rei toties certiſſima edidit documenta, quoties, infinitis prope percunctationibus, tentata ejus doctrina atque eruditio fuit. Romæ cum eſſet, neſcio quid ad Divinam Gratiam pertinens, eque penitiſſima Theologia depromptum ab eo requiſitum eſt, cui egregie adeo & ſubtiliter fecit ſatis, ut Bernardus Vargas S. J. Hiſpanus, Theologus in primis, ex veteri illa diſciplina, acutus & acer obſtupuerit, nec quidquam, neque preſſius, neque certius dici ab excellenti Theologo potuiſſe affirmarit. Bononiæ vero, cum in Collegio S. J. ad confertiſſimum doctiſſimæ illius civitatis conventum more ſolito verſus funderet, Cæſar Calinus, editis in ſacram Scripturam Commentariis vulgo notus, ejus eruditionem tentare volens, propoſita ex libris Regum quæſtione valde implicata, hominem in anguſtias adigere conatus eſt. Rei difficultate nihil perturbatus Perfettus, non docte ſolum propoſitam quæſtionem diſſolvit explicavitque; ſed oblatam etiam, oſtendendæ memoriæ & expromendæ eruditionis, in re multo difficillima, occaſionem ſibi elabi non ſivit. Etenim Reges omnes tum Judæ, tum Iſraelis enumerare inſtituit, eorumque ſeriem, acclamantibus omnibus, & tantam memoriæ atque eruditionis vim, quantam nunquam antea ſuſpexiſſent, admirantibus, recenſuit atque contexuit.

XIX.

XIX. Porro ex his, quæ reconditiorem doctrinam requirunt, facilis est conjectura de reliquis, quæ ex aliis facultatum & artium generibus non adeo seposita atque abdita, ac propterea multo faciliora atque expeditiora proponebantur. Dici universe potest, Perfettum hæsisse nunquam, & in discrimine impeditissimo constitutum semper explicasse se, & felicissime expedisse. Ipsa retrusa atque abdita Mathematicorum adyta nunquam ei fuerunt impervia; in ea, quoties aut occasio se obtulit, aut interrogationibus adactus est, toties non minus feliciter ingenio suo penetravit. Quare supervacaneum, & nimis lectoribus molestum esset, per omnes facultates excurrere, quas ille inoffenso pede peragrabat universas. Hæc cum vulgo & passim de Perfetto prædicarentur, non defuerunt, qui ea credere negarent. Videbantur enim incredibilia, & quæ humani ingenii modum superarent; augente, uti plerumqne fit, res fama, & supra veritatem efferente. Sed ii ipsi ad audiendum Perfettum invitati, & de quaque re, quæ magis eis arrideret, & quantum ipsi investigando assequi poterant, abditioribus e locis deprompta, illum interrogare compulsi, quam fidem narrantibus habere noluissent, habere sibi coacti sunt, & similia, atque alii sibi de Perfetto prædicarant, ipsi aliis de eodem prædicare.

XX. Atque ut nihil hic de ejus poetica laude

omitta-

omittamns, præter incredibilem in fundendis versibus felicitatem, præter eximiam doctrinam, præter singularem eruditionem, nulla exstitit poetica virtus, quæ in eo non admirabiliter èluxerit. Elegantia, delectus, nitor, venustas in verbis; ordo, series, nexus in sententiis; veneres denique ac lepores omnes, quæ Italicam Poesim ornant, in Perfetti carminibus eminebant. Pro rerum tractandarum varietate & modo, varius ipse & multiformis; gravis idem & facetus; grandis idem & sublimis, idem, si res posceret, demissus & humilis; acer interdum & vehemens; interdum lenis & placidus; aliquando inter utrumque extremum incedens, mira quadam mediocritate, nec nisi a poeticæ artis peritissimis æstimanda, temperatus. In rebus vero humilibus ejus mirabiliter elucebat ars & venustas. Ad ipsam naturam suis exprimendam coloribus accedebat sic, ut nihil neque verius pingi posset, neque elegantius. Pastores, & id genus hominum agrestium atque simplicium, pueros puellasque, sic loquentes inducebat, ut non Poetam, sed illos ipsos, qui inducebantur, te audire existimares. Tanta erat imitatio naturæ, tam apte, tam scite, tam ad rem, ad tempus, ad locum efficta persona.

XXI. Hujus rei carmen illud exemplo esse potest, quod summa voluptate auditum, Italia tota celebratum fuit. In hoc puella rustica inducebatur, sic enim

enim positum fuerat, quæ in civis domum ingressa, & subito speculi camino hærentis objectu, quæ nihil simile unquam vidisset, obstupefacta, perinde de eo loqui cœpit, ac si speculum illud re ipsa chrystallinum non esset, sed eo loco aqua glacie constricta obriguisset. Hac falsa quidem persuasione decepta, sed quæ mirabiliter ejus conditionis puellæ ingenio conveniebat, civium præ rustica simplicitate extollit ingenium, qui ita gelu fontes durare artificio nossent suo, ut subjecti calore ignis minime colliquefierent. In hoc autem ipso exprimendo tot tantisque dubitationum ambagibus incertam, hærentem atque ancipitem puellam fecit, & tam apte ad rem propositam loquentem, nihil ut ad exprimendam naturam neque verius, neque venustius potuerit excogitari. Carmina, quibus hoc ipsum expressit, statim a concione fuerunt arrepta, ac memoriæ mandata, & probata sic, ut in vulgus edita passim a populo canerentur. Nec minori tunc usus felicitate fuit, cum alteram puellam rusticam perinde de Solis eclipsi loquentem fecit, ac si ob Lunæ Sponsæ obitum, ejus desiderio lugubrem Sol vestem sumpsisset. Hæc hujusmodi sunt, ut quivis mirificam naturæ imitationem facile in iis cernat atque suspiciat.

XXII. Verum non in humilibus solum hujusmodi argumentis præcellebat; sed etiam singulariter eminebat in grandibus. In his acerrima illa, quæ Poetas

as facit, eosque *secernens populo*, ut ait ille, prope *Dis miscet superis*, cogitandi ac commentandi vis quam maxime dominabatur. Grandes in rebus grandibus imagines insigniter exstabant, & audientium animos vehementer percellebant. Quanta cum dignitate, versus coram Clemente XI. more suo fundens, in poema currum illum Ezechieli per speciem oblatum induxit! quam apte in mysticis quatuor animalibus currum trahentibus Sanctorum virorum Pii V. Andreæ Avellini, Felicis a Cantalicio, Catharinæ Bononiensis, quibus Clemens ipse sacros honores haud ita pridem indixerat, præcipuas virtutes adumbratas, atque adeo expressas auditoribus exhibuit! Rerum, quæ tractabantur, magnificentia ejus erigebatur animus, nec minus ipse res sublimius ac magnificentius tractando extollebat. Qua de causa multi ei fuerunt auctores, ut Poema epicum scribendum susciperet, & Torquati Tassi in eo carminis genere principis gloriam æmularetur; sed ipse, propter eas, quas infra commemorabimus, causas, a scribendo semper abstinuit.

XXIII. Furor vero poeticus, quo corripiebatur, omnem prope superat fidem; nec, nisi ab iis, qui eum audierunt, qualis quantusque fuerit, judicari potest. Fuit enim inusitatus omnino, admirabilis, atque ei unice proprius ac singularis. Inter canendnm adeo inflammabatur, ut prope furere, & extra se

rapi

rapi videretur. Quæ in Poetis mirabiliter expressa de Vatibus ac Bacchantibus leguntur, poeticum Perfetti furorem vix adumbrant. Cæsar Calinus, de quo supra mentionem fecimus, divinum illum æstum, quo Prophetæ & instincti & acti dicuntur, non expressius, quam in Perfetto, cerni potuisse affirmavit. Ardebant Poetæ oculi, incendebatur facies, anhelabat pectus, toto ex ore poeticus furor eminebat. Quotiescumque furore hoc agebatur, tum eum neque ipse Citharœdus, vel digitis super chordas evolantibus, consequi poterat. Incitatissimus erat verborum cursus, vix ut sententias animo ac cogitatione auditores assequerentur; rerum vestigia quidem cernerent, res autem ipsas cernere vix possent. Usque adeo effugiebat oratio, & tanta tamque præceps celeritas erat & verborum, & sententiarum. Ipse vero exhaustis spiritibus prope exanimatus, cum finem canendi faceret, consistere vix pedibus poterat. Noctem, quæ cantum consequebatur, transigere cogebatur insomnem, nec sanguinis motus, & conceptus calor, nisi longo post tempore, & conquiescebat, & defervescebat.

XXIV. His de causis summa semper cum admiratione auditus est. Illa, *euge*, *bene*, *præclare*, & illa alia, *non potest melius*, jam obsoleverant, & ipsa assiduitate viluerant. Non suppetebant verba satis idonea, quibus ei tantam sapientiam, tamque admiran-

mirandam in poetica extemporali facultate præstantiam homines gratularentur. Non hominem eum quidem, sed spiritum quendam e supernis sedibus in terras delapsum prædicabant, & prope tanquam Deum admirabundi atque obstupescentes intuebantur. Antonius Maria Salvinius, vir ille Italia tota scriptis suis celeberrimus, cum primum Perfettum audivit; *Mira res! exclamavit, ego vix aliquot versiculos, qui mihi probentur, ad pluteum sedens extrico, ac per otium extundo; iste vero tot, eosque optimos uno spiritu versus effundit*. Ad eum audiendum turmatim undique concurrebatur. Aularum laxitudo maximarum ad capiendam confertissimæ concionis frequentiam angusta erat, etiamsi vulgaris conditionis homines excluderentur, & tantum viri docti ac nobiles admitterentur. Audiebatur summa attentione, & stipata multitudo ab ejus ore pendebat sic, ut attonita videretur. Nemo hiscere audebat; silentium summum, summa admiratio, nisi quod subiti interdum plausus a concione extorquebantur, quibus Poetæ acclamabatur. His interpellatus cantum cogebatur abrumpere, donec ille exsultantium animorum motus conquiesceret. Tota Italia ejus fama atque opinio percrebuerat, ut de eo non aliter homines loquerentur, ac de monstro atque prodigio. Certatim, & pluribus allegationibus a præcipuis Italiæ urbibus expetitus fuit; nemo erat, qui hominem non audire cuperet, de quo tanta ac

tam inusitata & ferebantur, & prædicabantur. Viri principes non raro ejus unius audiendi causa Senas se contulerunt.

XXV. Sed ante quam de poetica Perfetti facultate dicere desino, illud minime prætermittendum est, quod superiores ejus hoc in genere laudes longe antecellit. Id autem accepi a clarissimo & doctissimo viro Francisco Maria Corsetto, qui cum jam dudum animadvertisset Perfettum, tum propter ingravescentem ætatem, tum etiam propter affectæ valetudinis incommoda, valde canendo defatigari, forte una cum eo extra urbis mœnia inambulans, *Quin tu*, inquit, *versus sine cantu fundis?* Reposuit Perfettus, *Versus sine cantu fundere! hoc enim vero fieri nequaquam potest; tale aliquid nunquam expertus sum*. Cui Corsettus, *Experire nunc*, & continuo ei Œdipum Regem Thebarum posuit, qui vastitatis, quam regno suo pestis importaverat, causam ab Oraculo sciscitatus, eam culpæ potissimum suæ, a se tamen ignoratæ, tribuendam didicit. Aggressus argumentum Perfettus centum optimorum versuum, quas supra diximus *octavas*, amico, supra quam dici potest, rei insolentia & novitate perculso, ac prope attonito, uno spiritu pronunciavit. Pestem tetris adeo coloribus depinxit, ut nihil magis; in Œdipi vero sensus pervadens ita eos expressit, ut nihil flebilius, & ad commiserationem excitandam accomoda-

tius

tius dici potuerit. Hoc profecto si caret exemplo, in hoc non excellens supra reliquos, sed unicus affirmari Perfettus debet.

XXVI. Extraordinariæ porro virtuti ac singulari extraordinarius ac singularis profecto honos debebatur. Hunc Perfettus consecutus est, non quidem ab ipso, contra atque fieri soleat, petitum, sed ei ultro delatum, quod in maxima ejus laude ponendum est. Fuerat Perfettus Romæ jam inde ab anno MDCCXII. & exspectationem illam, quam absens de se commorat, præsens longe multumque superaverat. Hoc enim usu ei venire solebat, contra atque in aliis summis etiam viris accidat, ut ejus famam præsentia non minueret, sed augeret. Auditus tum a Clemente XI. Pont. Max. fuit, qui eum & plurimum suspexit, & mirifice collaudavit. Ad Urbem iterum, in comitatu Violantis Bavaræ, reversus, quam de se opinionem discedens reliquerat, eandem eodem rediens quam florentissimam ac recentissimam offendit. Percrebuit statim tota Urbe advenisse Perfettum, & maximi ad eum nobilium ac doctorum hominum facti concursus. Erat tunc Pontifex Benedictus XIII. Hic cum mira quædam atque inusitata de poetica Perfetti facultate vulgo ab omnibus celebrari audiret, illum Laurea publice in Capitolio honestare constituit.

XXVII. Ne vero tantus honos Violantis gratiæ tributus,

butns, sed uni virtuti decretus videretur, jussit non eum ante donari Laurea, quam & omnigenæ, quæ de eo ferebatur, doctrinæ, & poeticæ facultatis singulare specimen ederet. Itaque factum est. Constituti tres specimini dies, quibus divisim percunctantibus responderet, lecti, qui interrogarent, destinati Judices, qui sententiam ferrent. Duodecim quæsita sunt ex diversis facultatibus & artibus deprompta, ex Theologia, Philosophia, Mathematica, Jurisprudentia, Ethica, Poetica, Medica, Gymnastica, Historia, atque ex universa Philologia. Quo ordine quæsita fuerunt, singulis a Perfetto, in doctissimo lectissimoque conventu, satisfactum. Adfuit semper Violantes, cui honoris & observantiæ ergo, e duodecim percunctationibus postrema reservata fuit. Tria proposuit argumenta Violantes, ut e tribus unum optaret. Negavit Perfettus in argumentis sibi a Domina sua propositis liberum optioni esse locum. Itaque de tribus dixit, & quæ proposita fuerant, elegantissimis carminibus exornavit. Jam, quod necesse erat, a Judicibus pronunciatum; *Perfettum Lauream Coronam videri meruisse*, idque eo magis, quod si unquam alias, hoc certe edendo poeticæ facultatis suæ specimine, divinitus cecinisse existimatus est. Eodem autem tamquam cumulus illud accessit, quod cum tria fere diversi generis argumenta colligare consuesset, tunc, præter omnium exspectationem, omnino duo-

duodecim, immo vero quatuordecim adſtrinxit, & admirando epilogo in unum copulavit. Hæc res adeo Perfetti obtrectatores perculit atque attrivit, ut ejus honori obſiſtere auſi non fuerint. Ipſa invidia ſuffragium contulit ſuum, & meritiſſimum hominem nullo non honore dignum judicavit.

XXVIII. Decreta igitur Corona laurea, dicta ſolemnitati dies, delectus ampliſſimo honori perſpectæ virtuti tribuendo locus omnium ampliſſimus, Capitolina nimirum Aula, ingenti laxitate capax, & magnificentiſſimo ædificio nobilis; ejus parietes aureis ſericiſque periſtromatis conveſtiti ſunt, area dirempta cancellis atque deſcripta, & ſuus quibuſque principibus Urbis Ordinibus aſſignatus locus. Tota Urbs tanta excita celebritate, & ſuis prope ſedibus commota eſt. Viæ omnes, quibus tranſiturus erat Perfettus, incredibili confluentium multitudine ſtipatæ, ac prope obſeſſæ; feneſtræ pendentibus auleis exornatæ; e feneſtris denſi humeris ſpectatores, qui tantum virum de facie ſaltem cognoſcere avebant. Perfettus aureo curru invectus, & ea pompa prope regia, qua vehi per Urbem P. R., quos vocant, *Conſervatores* ſolent, magno aſſeclarum famulorumque comitatu, ab Archigymnaſio Romano, unde diſceſſerat, ad Capitolium venit. Omnium oculi in unum converſi, omnium oculos unius modeſtia perculit. Ut venit, in Aulam Capitolinam introductus eſt, quam nobiliſ-

ſimis confertam ſpectatoribns offendit. Aderant S.R.E. Cardinales, Regum ac Principum Oratores, Præſules, Proceres, Patricii, Litterati viri, totus denique Romanæ Nobilitatis ac Sapientiæ flos. Ipſa in primis Violantes aderat, quæ præſentia ſua tantam celebritatem honeſtavit, & illuſtriorem effecit.

XXIX. Perfettus, cujus gratia tanta ſolemnitas indicta fuerat, per medios Proceres inceſſit, & ad *Conſervatorum* ſolium acceſſit. Hic ad Marii Frangipanii Senatoris Urbis pedes accidit, a quo humaniſſime exceptus, ſolemni ritu his conceptis verbis Corona laurea donatus eſt; *Eximium hoc Poeticæ laudis decus, quod tuo capiti impono ſub feliciſſimis auſpiciis SS. D. N. Benedicti Papæ XIII., Eques egregie, ſit publici non minus erga te ſtudii argumentum, quam obſequentiſſimi animi erga ampliſſimam ac plane regiam benevolentiam, qua decoraris*. Cui Perfettus; *Poetica laurus immeritæ impoſita fronti excelſam Sanctiſſimi Patris ac Pontificis Papæ Benedicti XIII. munificentiam, effuſamque S. P. Q. R. erga me voluntatem teſtatur; quarum utraque aut honore dignos invenit, aut facit*. Invitatus ſubinde a Jo. Mario Creſcimbenio Cuſtode Arcadiæ ad gratias extemporali carmine agendas, has, quantas maximas potuit, egit, ſolita uſus felicitate, nec minore modeſtia, ut difficile dictu ſit, utrum illa majorem admirationem commorit, an hæc, in tanto honore capiendo, ei benevolentiam conciliarit.

XXX.

XXX.[1] Talis autem ac tantus honos aliis honoribus cumulatus est. Civitas Romana impertita; facta potestas, ut jure suo & Lauream ferre, & eandem in gentilitium stemma inferre posset. Quæ acta sunt, omnia diligenter perscripta, & typis edita; in tabulas quoque publicas relata, & in ipsum tabularium Capitolinum ad memoriam tantæ rei posteritati prodendam illata. Cusa etiam eodem tempore, tum Romæ, tum alibi ænea fuerunt numismata, quibus Perfetti effigies capite laureato ad vivum expressa exhibebatur. Porro Arcadum Cœtus, cui, Alauri Eurotæi sortitus nomen, adscriptus erat, honorem Sodali delatum jure etiam ad se pertinere existimavit, sic, ut in uno homine Arcadum Cœtus ornaretur universus. Itaque, editis lætitiæ significationibus, atque poeticis indictis acclamationibus, voluntatem erga Collegam, benevolentiamque ostendit suam. Præterea consentientibus Cœtus universi suffragiis decretum est, ut eo in loco, ubi conventus haberi solent, perpetuo ejus exstaret effigies, tum in nemore Parrhasio ei inscriptio poneretur, tum denique uti Pastor Arcas *Laureatus* in posterum appellaretur, ad reliquorum discrimen, qui Arcades tantum Pastores nominantur. Externis etiam Coloniis litteræ missæ, quibus de honore in Perfettum collato factæ sunt certiores. Senenses vero, in quos maxima certe pars tanti honoris redundabat, communi consilio decre-

runt; primum, ut Snmmo Pontifici gratiæ publico nomine ampliſſimæ agerentur; deinde, ut in urbis aula ejus effigies inter illuſtrium virorum imagines, atque alia item effigies in eo gymnaſio, ubi Juriſprudentiam docuerat, collocaretur.

XXXI. Jam vero tantus honos non ambitione quæſitus, ſed virtute partus, quanti faciendus ſit, facile æſtimare poterit is, qui animum ad urbem, ad locum, ad judicium, & ad honoris ipſius genus advertat. Urbs, Roma caput gentium fuit; Locus, Capitolium, Urbis & Orbis ampliſſimus; Judicium hujuſmodi, ut declararetur, honorem non gratiæ donari, ſed virtuti tribui; Honoris denique ſi ſpectetur genus, eo neque majore affici Poeta, neque vero majus a Poeta expeti potuit; quippe qui, poſt hominum memoriam, non niſi pauciſſimis, iiſdemque ſapientiſſimis viris collatus eſt. Hunc eodem in loco Franciſcus Petrarca tulit; Torquato Taſſo decretus quidem fuit, ſed morte interceptus ad eum obtinendum non pervenit. Tanta autem, quantam oſtendimus, dignitate auctus Perfettus, & honoris culmen attigit, & ad ſummam extemporalis Poetæ famam exiſtimationemque pervenit. His contentus, ſapienti conſilio, votis modum impoſuit ſuis. Quapropter conſulto a ſcribendo abſtinuit. Non defuerunt, ut dixi, hortatores, qui eum multis rationibus ad ſcribendum impellere conarentur, ſed hac in re nun-

quam

quam iis morem gerendum ſibi eſſe exiſtimavit. Maluit enim obſecundare naturæ, quam quidquam aggredi, illa renuente atque invita. Qui vinculis omnibus expeditus ſpatiari libere, quo vellet, aſſueverat, nihil oderat magis, quam arctari pedicis, quæ eum adſtringerent & incitatum illum, quo ferri ſolitus erat, curſum aut interciperent, aut retardarent. Requiſitus interdum, ut poema aliquod conſcriberet hoc fere reſponſum dabat; *Si calamo me dictantem conſequi poteris, tum iſtuc, quod flagitas, habeto; ſi ſecus, mihi moleſtus eſſe deſinito*. Non tamen ſemper efflagitatorum effugere importunitatem potuit, & nonnulla ſcripto mandavit; ſed quæ repugnante natura ſcripta erant, nullo modo ejus poeticæ facultati reſpondebant.

XXXII. Quare, etſi operæ fortaſſe pretium feciſſe videri poteſt is, qui collecta Perfetti carmina aut ab ipſo invito expugnata, aut, ea cum funderet ex tempore, a librariis excepta publici juris fecit; ego tamen, ut ejus in Perfettum voluntatem laudem, non poſſum non improbare conſilium. Hac enim re, meo quidem judicio, tanti viri famæ atque opinioni plurimum offecit. Eo evaſerat exiſtimationis Perfettus, ut aliquot raptim deſcriptis verſibus, tamquam adminiculo, ad ſublimiorem dignitatis gradum obtinendum, minime indigeret. Nullam ſcriptam litteram reliquit Socrates Philoſophorum ille Parens, nullam

Craſ-

Craſſus, nullam Antonius, Oratores diſertiſſimi; nemo tamen eos doctiſſimos fuiſſe viros negat, quos relicta ab ipſis certiſſima ſapientiæ opinio ſatis poſteritati commendat. Quanquam, ſi librariorum opera talis adhiberi potuiſſet, qua verſus, ut re ipſa effundebantur, exhibiti nobis fuiſſent, ex iis poeticam tanti viri æſtimare facultatem utique poſſemus. Sed hujuſmodi opera deſperanda omnino erat, cum ea fere in carminibus fundendis Perfetti celeritas eſſet, ut illam aſſequi ſcriptoris manus non poſſet. Præterea, quis librariorum inſcitiam atque incuriam ignorat? qui vel ea, quæ per otium deſcribunt, mendorum illuvie contaminant, ut nos minus ab iiſdem caſtigatam in ſcribendi celeritate munditiem requiramus. Huc accedit, quod, ſi quando iſtiuſmodi homines, quos cane pejus & angue oderat, in concione latere, tanquam in inſidiis collocatos, Perfettus ſuſpicabatur, præcipitanter adeo ferri ſolitus erat, ut manifeſte appareret, non tam quid diceret cogitare, quam illud contendere, ut ſcriptorum celeritatem feſtinatione ſua anteverteret.

XXXIII. His de cauſis obtineri omnino non potuit, ut Perfetti carmina perinde ſcripto mandarentur, atque erant ab eo prolata. Multa igitur, ut ſententiæ aliquo modo ſibi conſtarent, multa, inquam, addenda, multa fuerunt tollenda, quibus ſive additis ſive ſublatis, neceſſario tota carminum venuſtas perire

rire debuit. Nihil enim tenerum magis ac delicatum quam versus, cujus, vel una immutata vocula, omnis continuo perditur elegantia atque corrumpitur. Quare Perfettus ipse hujusmodi carmina sibi interdum oblata pro suis non agnovit, repudiavitque. Ea vero, quæ, cum furore illo suo agebatur, fundebat, & ex quibus Poetæ nostri excellens colligi potissimum facultas debet, nullo modo excipi potuerunt. Quo pacto, quæ celerrima vix cogitatio assequeretur, librarii consequi poterat manus? Non negarim tamen edita Perfetti carmina aliqua dignari laude non immerito posse, si ea qui legat, animadvertat fuisse ab auctore effusa ex tempore, quod nescio, an cuiquam, vel eximio Poetæ, aliquid simile tentanti, eventurum similiter e sententia sit. Sed, si certum de tanto viro judicium quærimus, non est cur illi longe gravissimo & maximo, quod tota Italia, & Roma ipsa de singulari ejus excellentia tulit, stare recusemus.

XXXIV. Ne vero quisquam forte putet a me Bernardinum Perfettum sic esse descriptum, ut non qualis reipsa fuerit; exhibuerim, sed qualem mihimet ipse animo, parum de historica veritate sollicitus, conformarim, nihil est, quod addam, nisi quod colligi ex his, quæ hactenus persecuti sumus, debet, & necessaria consecutione efficitur. Da mihi hominem acerrimo ingenio, summa memoria, non intermisso

miſſo ſtudio, aſſidua exercitatione, tum de eo quidquid voles excellens atque admirandum narrato; facile id non mihi ſolum, ſed cuique probare poteris ac perſuadere. Is autem fuit Perfettus, qui ad eam, ad quam evaſit, poetica in arte præſtantiam, & acerrimum ingenium, & ſummam memoriam, & non intermiſſum ſtudium, & aſſiduam exercitationem, omnia denique & naturæ & artis præſidia attulit. Præterea doctrinæ, & poeticæ facultatis ſuæ toties periculum fecit, quoties verſus fudit ex tempore; id autem non privatis in latebris, ſed luce palam, non amicis ſolum præſentibus & plaudentibus, ſed in lectiſſimis doctiſſimiſque conventibus, non Senis tantum, & in Patria, quæ caritate quadam civi ſuo favere poterat, ſed extra Patriam, ſed in principibus Italiæ urbibus, ſed ſemel atque iterum Romæ, urbe omnium principe, ſed ubique, prout ſe tulit occaſio, coram viris harum ipſarum facultatum, quas Perfettus profitebatur, ſcientiſſimis, & acerrimis æſtimatoribus; ipſis denique aut invidis, aut incredulis difficillima quæque percunctantibus, & certa de hominis doctrina atque eruditione tentamenta capientibus. Præterquamquod ego non de homine ſcribo, cujus memoria de antiquitatis ſinu mihi ſit eruenda, de quo quidvis poſſim libere comminiſci, nullius refellente teſtimonio. Hæc litteris prodo de viro haud ita pridem vita functo, qui non multos ante annos flo-

floruit, cujus laudes iu ore omnium adhuc sunt, & vigent, quem prope innumerabilis hominum multitudo & audivit, & suspexit. Horum autem cum non pauci etiamnum vivant, ego certe, si mentirer, eos impudentiæ meæ testes esse nollem. Quamobrem in his ipsis scribendis mihi magis providendum fuit, ne quid de vera laude Perfetto detraherem, quam ne ei aut falsam, aut exaggeratam affingerem; & verendum potius, ne hæc ipsa, quæ memoriæ mandavi, tanti viri merito, atque opinioni minus respondeant.

XXXV. Diximus de poeticis Perfetti studiis, nunc reliqua, & vero præcipua, de Christianis ejus virtutibus persequamur; in his enim excelluit maxime. Has ego si paullo diligentius colligam, non opinor me in cujusquam reprehensionem incursurum, sed gratiam potius apud bonos omnes initurum. Etenim ille mihi nunquam probatus mos fuit, neqne vero a quoquam probari potest, litteratorum hominum, qui Christiani sunt, vitas ita scribendi, ut nulla in eis Catholicæ Religionis significatio edatur. Refúgit enim vero animus, cum de quodam admodum erudito viro scriptum legi, *Eum in pulcrarum artium, quas vivens dilexerat, sinu spiritum exhalasse*. Absit hoc a me, qui mihi viderer injuriam Perfetto irrogare, si quas ipse præ se tulit virtutes, eas ego silentio tegerem, ac dissimularem. Immo vero proferantur, atque

que ad litteratorum hominum & exemplum & incitamentum proferantur, ut plane omnibus constet posse summam doctrinam Christiana cum professione conjungi. Inter cæteras Perfetti virtutes, ejus maxime semper eluxit modestia, quæ propria quædam ejus virtus exstitit ac singularis. Atque hæc quidem virtus tanto in eo admirabilior fuit, quanto majoribus, cum viveret, honoribus ipse cumulatus est. Efferebatur passim summis & miris laudibus, audiebatur semper admiratione summa, nemo se non beatum putabat, qui ejus colloquio, aut saltem aspectu frui posset, doctissimos quosque sui præcones habebat; nullum tamen unquam, in tanta honorum copia atque affluentia, aut arrogantiæ, aut insolentiæ indicium dedit. Alio derivabat laudes; si id minus poterat, eas verecunde excipiebat. Nihil de se unquam magnifice prædicavit, & qui probe suam in poetica facultate excellentiam norat, malebat eam premere silentio, & extenuare verbis, qnam, aut aliquo modo significare, aut multo minus eam gloriosius efferre, atque jactantius amplificare.

XXXVI. Sed hoc fortasse vel Philosophi norunt, quorum præceptum est, servandum esse in rebus modum, & præ se in omnibus ferendam modestiam. Illud vero in eo Christiani hominis proprium fuit, nihil sibi arrogare, sed omnia ad Deum, a quo, tanquam a fonte, cuncta in nos bona redundant, ut par est,

eſt, referre. Cum ei Clemens XI. Pont. Max. ſummam doctrinam, & in arte poetica præſtantiam gratularetur, modeſte reſpondit; *Hoc, quidquid eſt, Beatiſſime Pater, Dei munus eſſe profiteor, qui, ut Balaami jumentam loquentem fecit, ita me Poetam facere voluit; haud ſane poſſumus in iis tanquam propriis gloriari, quæ ab alio accepimus*. Hac ipſa occaſione cum Urſulæ Matri reſcriberet, ad quam honorum, quibus in urbe afficiebatur, fama pervenerat, honores hos ipſos divinæ erga ſe *bonitati, & miſericordiæ*, his enim verbis utitur, unice tribuendos affirmavit. In alia item epiſtola ad eandem data, ſcribit ſe ante, quam Urbem ingrederetur, in eo conſtitiſſe Sacello, quod Romam venientibus ſecus viam occurrit, ubi Chriſtus S. Ignatio S. J. Conditori per viſum oblatus ſe ei Romæ propitium fore illis verbis; *Ego vobis Romæ propitius ero*, recepit; hoc ipſo in Sacello, ait, Chriſtum enixius oraſſe ſe, ut ſibi quoque eadem in Urbe adeſſe vellet; & vero, ſubdit, ut exitus ipſe demonſtravit, exoraſſe. Et ſane primo illo ſuo adventu ſic Urbem perculit, ut totam ſui nominis fama ac celebritate prope concuſſerit. Quibus exemplis litterati viri docentur, & modeſte de ſe ſentire, & Deum bonorum omnium auctorem agnoſcere.

XXXVII. Acceſſit modeſtiæ pudor quidam ſingularis & verecundia, quæ modeſtiam ipſam incredibiliter

biliter ornabat. Ea propter a tractandis prophanis amoribus semper abstinuit, atque adeo abhorruit. Nunquam illa via lascivientium Poetarum vestigiis trita, quorum oderat procacitatem, incessit, ab eaque exemplo suo incautam juventutem removit. Si quando aliquid hujusmodi ab eo quæreretur, ea graviter dicebat, quæ percunctantis petulantiam retunderent, & vero quibus percunctantem ipsum erubescere adigeret; si minus id posset, propter percunctantis auctoritatem, alio detorquebat carmen suum, & multa de divino amore persequebatur, ut satis ostenderet, nihil malle se, quam omnium mortalium corda cælesti illo igne inflammari.

XXXVIII. Quod ad Catholicam Religionem attinet, eam ubique præ se tulit, & vero etiam coram alienis a nostra Religione hominibus libere professus est. Huic rei illud documento sit. Versus de more fundebat ex tempore, consessus erat frequentissimus & lectissimus. Aderant inter cæteros nonnulli Heterodoxi, viri principes & nobilissimi. In ipso cantus, quo Perfertus incaluerat, fervore signum de proxima turri insonuit, quo sub vesperam ad salutandam Beatam Virginem Catholici invitamur. Qui non longe a Perfetto sedebant, ei submissa voce insinuarunt, signum ut dissimularet, & cantum abrumpere ne vellet. Interpellatus hoc modo Perfettus stomacho exarsit, & *Enim vero*, clara & elata voce

sic,

ſic, ut ab omnibus audiretur, repoſuit; *Non faciam; haud enim erubeſco Evangelium*. Quo dicto cantum abrupit, & continuo ſurgens Beatam Virginem conceptis, quibus utimur, verbis ſalutavit. Quo facto, & ſe aperte Catholicum declaravit, &, quo erga Deiparam pio devotionis ſenſu afficeretur, oſtendit.

XXXIX. Et ſane eximium plane in eo fuit ac ſingulare erga Beatam Virginem Mariam ſtudium. Qui ea in urbe natus erat, quæ ſingulari erga Divinam Matrem pietate, uti diximus, commendatiſſima eſt, qui Bernardini illius ſanctiſſimi civis ſui, ac Deiparæ ſtudioſiſſimi nomine appellabatur, qui in gymnaſiis S. J. adoleverat, in quibus hac ipſa pietate a teneris annis fuerat imbutus, hanc pietatem mirifice coluit. In nullo argumento libentius verſabatur, quam cum ei de Virginis laudibus canendum eſſet. Mira quædam excogitabat, excogitata admirabilius exornabat; in hoc ingenii ſui, & poeticæ facultatis vires contendebat omnes, ut de illa & nova, & inaudita, ac prorſus ſingularia, & acutiſſime inveſtigaret, & venuſtiſſime expoliret. Si quando aliquid ab eo quæſitum eſſet, quod parum pudice tractari videretur poſſe, hoc tanquam perfugium habebat, quo ſe reciperet, & aditum ſibi ad Deiparæ laudes celebrandas aperiret, in quibus libere, & ſine offendiculo ſpatiaretur. Qua in re & pudori conſulebat ſuo, & rem puriſſimæ Virgini gratiſſimam faciebat.

bat. Nullam vero elabi sibi occasionem passus est, qua insigni aliquo atque illustri documento pium hoc studium suum testaretur. Statim ab ipso honore acceptæ in Capitolio Laureæ ad sacram B. Virginis Ædem, quæ ad Martyres nuncupatur, recta contendit, ut debitas illi gratias ageret, cui illum ipsum honorem referebat acceptum. Lauream porro Coronam ad Sacellum B. Virginis, quod Senis est in Æde principe, eo titulo, quem supra diximus, dedicatum ab obitu suo deferri voluit, idque testamento cavit, ut Virginis aræ, in perpetuum suæ erga eam observantiæ ac pietatis monumentum, suspenderetur. Est & aliud suæ erga Deiparam pietatis & studii certissimum argumentum. Inter pagellas quasdam a se relictas, in quibus ea, quæ ad animi sui in Christianis virtutibus profectum pertinebant, perscribere solebat, schedula reperta fuit, in qua B. Virginem cum ab omni originis labe fatebatur immunem, tum, interposita religione, se id unquam non sensurum affirmabat, curaturumque præterea recipiebat, ut, quod ipse ea de re & sentiret & prædicaret, idem etiam alii, ipso auctore ac suasore, & sentirent, & prædicarent. Nec vero, quod recepit, non præstitit. Immunitatem illam adeo Virgini gloriosam semper propugnavit, nec ab aliis oppugnari, se præsente, unquam passus est. Hoc autem quam gratum purissimæ Virgini fuerit, ejus vita caste semper integreque traducta satis aperte declaravit.

LX.

XL. Religiosorum hominum consuetudine plurimum utebatur, & delectabatur. Homines S. J., a quibus fuerat institutus, singulari benevolentia complexus est, & omnibus grati animi significationibus prosecutus. Collegium Ptolemæum, cui suam potissimum liberalem debebat institutionem, frequentissime celebrabat, & in eo prope versabatur assiduus. Feriis Bacchanalibus ad honestam nobilissimæ illius juventutis relaxationem in eo Collegio versus solebat fundere ex tempore, & hunc fere locum ad conventus habendos cæteris præoptabat, si quando a principibus viris Senas venientibus, & eum audire cupientibus, suæ poeticæ facultatis specimen edendum erat. Quod suis moribus Collegium adolescens ornaverat, hoc suis exemplis, & sanctis præceptionibus erudivit senex. Dici potest generatim atque universe, nullum a Perfetto neque Religionis, neque Pietatis prætermissum unquam fuisse officium. Consentiens de eo hæc omnium opinio fuit; hac opinione semper floruit, hanc moribus vivens meritus est, hanc moriens confirmavit, hanc de se post mortem reliquit. Sepositum habebat tempus, quod in rerum cælestium commentatione impenderet. Sæpe ad sacram *Synaxim* accedebat, multo sæpius conscientiæ suæ labes Catholico ritu expiabat. Qui in sempiternum tempus spectare consueverat, eoque curas omnes ac cogitationes direxerat suas, nihil magis cavit, quam

ut eum ne mors nec opniantem interciperet. Quapropter de æterna animi ſui ſalute vehementer ſollicitus, nunquam fundendorum ex tempore carminum periculo ſe committere audebat, quin prius animi ſui noxas abſtergeret, & Deum ſibi conciliaret. Non enim tunc de ſua tantum exiſtimatione, ſed de vita ipſa agi arbitrabatur; nec vero ſine cauſa pertimeſcebat, ne in ipſo concitati animi æſtu ac fervore aliquando extingueretur.

XLI. Et vero tale mortis genus ei obtigit, quale ſuſpicabatur. Exeunte Julio anni MDCCXLVII. repentino paralyſis ictu perculſus eſt. Ea vis morbi fuit, quæ omnem medentum artem vicit, nec ullo adhibito remedio potuit edomari. Relevatus aliquantum, & ſui compos, Kalendis Sextilibus, ad ſe liberos introduci juſſit, eoſque ad omnem virtutem ac pietatem cohortatus eſt. Haud ita multo poſt extrema Catholicæ Eccleſiæ Sacramenta enixe requiſivit, & ſumma religione ſuſcepit; quibus ſuſceptis intrepidus ipſe & conſtans in communi adſtantium luctu, petita ab Uxore, a Fratre, a Liberis eo abeundi facultate, ubi ſe quam beatiſſimum fore, & in ſempiternum tempus victurum ſperabat, ipſis Kalendis Sextilibus, pie, ac ſancte, ut ſemper vixerat, deceſſit. Nemo tanti viri mortem non luxit, mœroremque ex ejus obitu ſuſceptum ſummis doloris ſignificationibus Civitas univerſa declaravit, quæ tanto

to orbata cive ſummum ornamentum amiſit. Laureato capite elatus eſt, ejuſque funus S. Stephani Equites magnifica pompa uſque ad urbis portas proſecuti ſunt. Inde cadaver, primo ab urbe lapide, in avitum ſepulchrum illatum eſt, quod exſtat in templo Fratrum S. Franciſci, quos Minores vocant. Exequiæ etiam ſolemni pompa ab Academia *Intronatorum* celebratæ ſunt. Laudatus pro concione fuit a Nicolao Joannellio viro doctiſſimo; idem pietatis officium a ſe deſiderari Collegium Ptolemæum minime paſſum eſt. Uxor vero, Liberi, ac Frater magnificum e marmore excitandum ei monumentum curarunt prope Sacellum B. Virginis, cui Coronam lauream appendi teſtamento juſſerat. Monumento inſculptum elogium.

XLII. Vixit Perfettus annos LXVI. carus omnibus propter ſuaviſſimos mores, & ſingularem illam ſuam, quæ ei omnium amorem conciliabat, modeſtiam. Quos habuit invidos & obtrectatores, eos facile lenivit obſequio, & patientia ſibi devinxit ſua. In quotidiana conſuetudine lepore affluens, &, cum res & tempus poſcerent, doctrina abundans, ut nemo non ejus colloquio frui maxime cuperet. Non illud in eo vitium, quod *Cantoribus atque Poetis* commune eſt, qui, niſi rogati, ac multis precibus propemodum expugnati, canere in animum non inducunt. Facile hac in re amicis morem gerebat, &

ſe audire cupientium voluntati obſecundabat. Doctiſſimos quoſque ætatis ſuæ viros & admiratores habuit, & præcones. Inter hos præcipue numerandi ſunt, Jo. Marius Creſcimbenius Arcadiæ Cuſtos, Antonius Maria Salvinius, Petrus Creſcentius Vaſellius, Paulus Rollius, Ludovicus Sergardius, Alexander Guidius, Gregorius Redius, aliique hujus notæ, ac magni nominis viri. Celebriores tota Italia doctorum virorum Cœtus ejus nomen certatim expetiverunt, & Cœtum ipſi ſuum tanti Poetæ nomine honeſtare voluerunt.

XLIII. Aliquot poſt ejus obitum annis vulgata eſt Romæ ejus vita italice a me conſcripta; legitur inter Arcadum inſigniorum vitas, numero nono, volumine ultimo ex iis, quæ de illuſtrium Arcadum vitis prodierunt. Elogium de Perfetto luculentiſſime ſcriptum reliquit Joannes Lamius in ſua Ephemeride litteraria anni MDCCXLVII. Cæſar Calinus S. J. in Opere, quod inſcripſit *Trattenimento Iſtorico, e Cronologico*, lib. IV. cap. XXII. imaginem Perfetti ad vivum expreſſam lectoribus ſuis exhibet. Gregorius Redius Perfettum Phemio illi Poetæ extemporali, cujus meminit Homerus in Odyſſea, comparat, atque hanc comparationem ſuis verſibus ornat, elegantiſſimeque perſequitur. Vitam Bernardini Perfetti publici juris fecit Romæ elgantiſſime conſcriptam Angelus Fabronius in tertio ſuarum Decadum volumine;

ne; legitur ordine nona. De singulari Clarissimi harum Decadum Scriptoris doctrina, eruditione, deque aurea latinitate nihil dicam, quod vereor, ne, dum gratus videri volo, ejus modestiæ offensionem incurram, a quibusdam vero nimis fortasse officiosus existimer. Floruit etiam magnorum Principum gratia, Clementis XI. Benedicti XIII. Summorum Pontificum, Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis, Violantis Bavaræ, quæ ei quoque multorum Germaniæ Principum benevolentiam conciliavit. Non dubium, quin hac via ad magnas opes evasurus fuisset, si Principum virorum gratiam nundinari ad suum quæstum, ut plerique faciunt, voluisset. Sed ejus modestia effecit, ut importuni efflagitatoris reprehensionem effugeret, excelsitas animi, ut a turpi nundinatione abhorreret. Alia ad opes comparandas honesta sane ac liberalis ei patuit via, siquidem Jus civile non cognitionis tantum, sed lucri etiam gratia adamasset; sed ad excellentiam in arte poetica natus illam omni emolumento antetulit. Agrum quidem per se valde sterilem coluit, sed qui ei nominis immortalitatem omnibus divitiis potiorem extulit.

XLIV. Fuit statura corporis justa, lata & exporrecta fronte, acribus oculis, toto ore conformato ad dignitatem, quam adjuncta suavitas quædam temperabat. Plures ejus effigies visuntur, & cusæ, & incisæ, & coloribus expressæ; ejus utinam animus &

virtutes, si non exprimi, aliquo saltem modo adumbrari a me potuissent. Ego quidem meo hoc Commentario aliquam tanti viri imaginem pro mea tenuitate efformare conatus sum, sed plane video quantum ab exemplari discordet. Egomet jam inde annis ab hinc viginti vitam hanc ipsam latine conscripsi, sed quia mihi non probabatur, flammis absumendam tradidi. Viri docti, quibus illam legeram, mihi tunc auctores fuerunt, ut eam vulgarem; ego vero eorum consilio non acquievi. Illud enim persuasum semper habui, aliud esse judicium aurium, aliud oculorum; remissius illud & indulgentius, acrius hoc atque severius. Verum, cum a me non tam requiri, quam deberi tanti viri excellentiæ viderem, ut ea etiam exteris nota fieret, semel, iterum, tertio experiri non destiti, si quid tandem aliquando succederet e sententia. Cum prope desperata res esset, hæc nescio quomodo repente emersit vita, quæ etsi mihi plane non satisfacit, omnino tamen non displicet. Si vero hæc ipsa minus probabitur, confido fore, ut conatus saltem in re honesta aliqua laude dignetur, & gratus etiam futurus sit civibus suis, quorum maxime interest, ut memoria tanti viri in omnem posteritatem propagetur.

XLV. Cæterum Bernardinus Perfettus non unus fuit e multis, sed unus in paucis; immo vero, si tanti Poetæ excellens ingenium, tenax memoria, assidua lectio, non inter-

intermissa exercitatio, cognitio prope infinita omnium doctrinarum & artium, summa cogitandi celeritas, acerrima commentandi vis, admiranda in fingendis carminibus felicitas, afluentissima in fundendis copia, incredibilis animi inflammatio, poeticus æstus & furor, & siqua sunt alia, quæ in summis Poetis laudantur, si conjunctim inquam, uti reipsa fuerunt, hæc in Perfetto spectentur, prorsus unicus extitit ac singularis. Omnino, ut paucis multa complectar, in eo natura videtur experta quid in extemporalis Poeseos genere posset efficere. Quapropter est cur merito Senis, cur Italiæ toti, cur Ætati nostræ tantum virum gratulemur. Habet enim Senarum urbs in uno Perfetto, quod ad cæterarum Italiæ urbium, habet Italia, quod ad exterarum nationum, habet Ætas nostra, quod & ad totius Antiquitatis, quæ nihil unquam tale suspexit, & ad consecuturæ etiam Posteritatis, quæ simile quiddam nunquam fortasse suspiciet, prope ad invidiam ostentet.

DE


Hæc Vita separatim Romæ vulgata fuit anno 1771. Typis Generosi Salomoni; vulgandam propriis sumptibus curarunt Biringuccii Fratres Patritii Senenses, qui hoc se debere officium Civi de Patria benemerentissimo existimarunt. Huic editioni Parthenius hanc addidit inscriptionem.

Deiparæ Virgini Advocatæ Senensium
Cui Bernardinns Perfettus
Suam Coronam. Lauream Dicatam Voluit
Bidem Iosephus Marianus Partheuius
Lucubrationem Hanc Suam
Consecratam Vult.

DE

CAROLO SANCTINO

COMMENTARIUS II.



OC me debere Carolo Sanctino Collegæ in Rhetorica tradenda meo memoris animi officium sum arbitratus, ut quæ mihi de viro singulari probitate atque eximia doctrina spectatissimo nota essent, litteris traderem, ejusque memoriam, si quo modo assequi possem, ab oblivione vindicarem. Atque hoc quidem eo libentius aggredior, quo me id facilius consecuturum confido. Scribo enim de homine mihi notissimo, atque amicissimo, ut propter intimam ejus cognitionem fidem mereri, & propter amicitiam officiosus haberi debeam.

II. Natus est Carolus Sanctinus IV. Kal. Jun. An. MDCCVIII. in Insula Corsicæ, quæ nunquam non optimorum ingeniorum ferax maxime fuit, & plures Societati nostræ singulari doctrina, atque insigni sanctimonia præstantes viros extulit. Oppidum, quod Lama appellatur, Diœcesis Marianensis ei patria fuit. Parentes habuit pios in primis ac religiosos, & vero etiam fortunæ bonis satis instructos, ut Sanctinia fami-

familia inter præcipuas ejus oppidi numeretur. Annos octo natus missus Romam est, & sub Patrui, viri æque pii atque docti, disciplina institutus. Hic jam a multo tempore Romæ commorabatur, & Sacerdos ab omni ambitione alienus Deo & sibi, suisque studiis vacabat. Plurimum ad optimam nepotis institutionem optima contulit Patrui disciplina. Sanctinus enim se Patruo eum quam rectissime instituenti pro sua egregia indole docilem præbuit atque morigerum, & piæ educationi cumulatissime respondit. Frequentavit adolescens scholas Collegii Romani, multumque in litteris umanioribus profecit. Ætate provectior graviores disciplinas, Philosophiam nimirum ac Theologiam, in Collegio S. Mariæ supra Minervam a PP. Ordinis Prædicatorum edoctus est.

III. Confecto non sine præstantis ingenii & doctrinæ commendatione studiorum suorum curriculo, ad humaniores litteras, ad quas præcipuo quodam naturæ munere comparatus erat, totum se contulit. In iis penitus cognoscendis & assidue excolendis multum operæ insumpsit, & propositis sibi præstantissimis veterum auctorum exemplaribus diligentia sua atque assiduitate perfecit, ut ad ea imitatione quam proxime accesserit. Latinam linguam excoluit æque atque Italicam, intimamque utriusque linguæ cognitionem est assecutus. Latinam item atque Italicam Poesim mirifice adamavit; sed primo illo effervescen-

vescentis juventutis suæ tempore Italicam Latinæ prætulit. Itaque Italos Poetas multum legit, atque attenta eorum lectione tantum profecit, ut de condendo ad Torquati Tassi imitationem Epico Poemate cogitarit. Neque vero eum magnitudo operis ab eodem suscipiendo deterruit. Qui &. acri ingenio erat, & optimorum Poetarum lectione bene subactum habebat judicium, & vero etiam a natura ipsa ad hoc Poeseos genus ferebatur, opus longe difficillimum aggressus est, & illud dies noctesque urgendo ad exitum usque perduxit. Poema inscripsit *Costantinum*; atque in tantum Heroem perficiendum ornandumque quidquid in eo erat quidquid ingenii, poeticæ artis contulit. Hoc ego Poema nunquam legi. Itaque meum de eo non possum judicium interponere; qui legerunt, totius operis coagmentationem, carminum splendorem, cultum, venustatem summo pere, me audiente, collaudarunt. Poema hoc Patruo suo cum in Societatem ingressus est, tradidit; sed eo e vivis sublato quas in manus pervenerit, divinare quis possit? Conjicere tamen licet commune aliis hujusmodi ingenii monumentis fatum subiisse, quæ exstinctis Auctoribus, qui illa edere neglexerunt, fere pereunt.

IV. Humanioribus igitur excolendis litteris intentus nihil cogitabat, nisi ut ex iis eum fructum caperet, quem litteræ ipsæ cultoribus parere solent suis; nimirum ut honeste occuparetur & liberalissimo otio frue-

fruereur. Verum cum ejus doctrinæ opinio, & in humanioribus litteris excellentia percrebuisset, expetitus earum Doctor a Seminario Sublacensi fuit. Ab honesto munere suscipiendo, suadentibus amicis, non abhorruit Sanctinus, operamque suam utilem in primis ac salutarem illi Seminario aliquot annos impendit. Discipulos suos tum bonis moribus instituit, tum humanioribus litteris erudivit, ac discedens magnum sui ac virtutum suarum desiderium reliquit. Adhuc viget in eo Seminario ejus memoria, adhuc ejus virtutes prædicantur, adhuc doctrina celebratur, ejusque nomen non sine laude commemoratur.

V. Verum cum ad sanctius vitæ genus a Deo vocaretur, Sacerdotio initiatus est. Sacerdos effectus non tam ornari a dignitate, quam illam moribus suis ornare studuit, eamque vitæ rationem instituit, quæ tantæ dignitati, quoad ejus fieri posset, conformis esset, ac plane consentanea. Itaque excolendo virtutibus animo totum se dedidit. Verum de his, deque eximia viri sanctitate dicam suo loco, cum præcipua, quibus functus est munera, explicavero. Haud ita multo post a suscepto Sacerdotio ineundæ Societatis Jesu consilium cepit, quo, terrenis rebus omnibus a se prorsus abdicatis, liberius atque expeditius sibi, atque uni Deo vacare posset.

VI. Hoc suscepto consilio, non ei difficile fuit illud executioni mandare. Nam statim, atque se Socie-

cie-

cietatis Moderatoribus obtulit, ab iisdem in Societatem admissus est. Morum sanctitas, integritas vitæ, rara indoles, singularis doctrinæ opinio, ipsa oris ad modestiam compositi commendatio ei continuo in Societatem aditum aperuerunt. Et vero Societas in Carolo Sanctino talem alumnum adepta est, qualem se adeptam jure ac merito semper gloriari poterit. Se enim ita ad Ordinis nostri leges ac præscripta effinxit, ut Sociis tanquam absolutissimum virtutum omnium exemplar proponi ad imitandum potuerit. In Tyrocinium ingresso nihil admodum de inita jam sanctioris vitæ ratione immutandum fuit, illudque solum contendendum, ut opus propriæ, *perfectionis* quod jam incoharat, contentius in dies urgeret.

VII. Confecto Tyrocinio, & emissa suo tempore solemni *Professione*, cujus in umanioribus litteris perspecta jam erat Moderatoribus excellentia, Florentiam ad tradendam Rhetoricam missus est, ubi primum Hieronymi Lagomarsini, tum meus eodem in munere Collega fuit. Ex hoc autem tempore mihi intime notus esse cœpit, & ego multa in eo animadvertere potui, quæ ut a me observata sunt, fideliter mandabo litteris. Et primum, quod ad excellentis plane Rhetoris præstantiam attinet, non dubito illum cum omnibus, qui ætate hac nostra hoc in litterarum genere maxime floruerunt, comparare, multis etiam anteferre. Et prosa, & versu multa scri-

psit

psit elegantissime, quæ pro summa, quæ ei mecum intercedebat, familiaritate, mihi legenda, atque, ut pro sua ipse modestia ajebat, cognoscenda tradere consueverat. Ea legens nihil fere unquam animadverti, quod reprehendi posset; immo vero & linguæ purioris elegantiam, & sententiarum veritatem, & subactum omnibus in rebus, quas scripto mandabat, exquisitumque judicium, quod sane paucorum est, nunquam non sum demiratus.

VIII. In Orationibus pressus erat, limatus, concinnus & subtilis, illudque eloquentiæ genus adamarat, quod Isocratea venustate commendatur. Atque hoc ego quidem dicendi genus multo difficillimum semper existimavi. Multis enim ex virtutibus oratoriis, atque adeo ex virtutum ipsarum temperamento quodam efflorescat necesse est, unde suavitas illa emergit, quæ incredibilem in modum demulcet aures, atque interdum multo felicius flectit animos, quam imperiosior illa & magniloquentior eloquentia contorqueat. Hæc ita scribo, uti ipse sentio. Quanquam, ut vere dicam, ego ab hoc dicendi genere fere refugi summa ejus difficultate deterritus. Sed in hoc sequi naturam, tanquam optimam Ducem, debemus, nec quidquam temere aggredi illa invita ac repugnante. Omnia dicendi genera, quæ multa sunt & varia, si ea egregie quis expresserit, propria laude dignantur. Neque enim ego unquam eorum judicium

pro-

probavi, quibus illud ſolum, quod ipſi amplexi ſunt, orationis genus probatum eſt.

IX. In Carminibus vero non inſigniter minus ejus eluxit ingenium, quam elegantia atque venuſtas; ſive ad delicatam Tibulli, ſive ad grandiorem Propertii, ſive ad mixtam Catulli formam ſe fingeret. In Heroico carmine conficiendo unum Virgilium ſibi tanquam abſolutiſſimum exemplar imitandum exprimendumque propoſuit. Et vero multum ad perfectum illud exemplar acceſſit, quod ipſa ſuorum ſtructura carminum, & in adhibendis cæſuris artificium ſatis aperte declarabant. Si vero hæc a me amicitiæ donari quiſquam putet, is vehementer errat. Quare ut idonei harum rerum æſtimatores de Sanctini noſtri in arte Poetica excellentia judicare poſſint, particulam elegiaci carminis, quæ ſola ex ejus ſcriptis remanſit, ſpecimenis ergo in fine noſtri hujus Commentarii legendam iiſdem exhibebo.

X. Cum optimi Rhetoris opinione floreret Sanctinus, & aliquot in tradenda Florentiæ Rhetorica annos exegiſſet, Romam evocatus eſt domeſticis noſtris Rhetoricæ auditoribus Doctor præficiendus. Hominem modeſtiſſimum, & de ſe admodum demiſſe ſentientem oblata provincia conterruit. Sed Hieronymi præſertim Lagomarſini auctoritate motus, cujus conſiliis plurimum deferebat, eam ſuſcepit. Hic vero ſupervacaneum eſt dicere quanta cum diligentia quan-

quantoque cum discipulorum suorum profectu munus illud obierit. Qui majorem quietem & otium in illo Quirinali amœnissimo diversorio, ubi commorabatur, nactus fuerat, illud ad linguæ Græcæ studium potissimum contulit. Studium hoc si non desertum omnino, multum certe intermissum offendit. Sanctinus in eam præcipue curam totus incubuit, ut auditorum suorum animos ad illud erigeret, eosque linguæ Græcæ addiscendæ mira quadam cupiditate inflammaret. Itaque brevi effecit, ut discipuli strenuam Græcæ linguæ navantes operam Græcas ipsas orationes conficerent, quas constituto anni tempore in Collegio Romano ad domesticum conventum pronunciarent.

XI. Verum cum Sanctinus non minus doctrinæ excellentia, quam vitæ sanctitate emineret, visum est moderatoribus ejus operam in juvandis animis, atque ad Christianam perfectionem, quæ multo potior omni doctrina est, provehendis adhibere. Hoc consilio a moderatoribus suscepto excipiendis *Confessionibus* in nobilissimo Germanorum atque Ungarorum Collegio destinatur. Etsi ægre Sanctinus ab æde Quirinali, in qua tanquam in tranquilla aliqua statione conquiescebat, divellebatur, tamen moveri se loco passus est, nec moderatorum imperio ac voluntati repugnavit. Quomodo se novo hoc in munere gesserit non est cur ego hic pluribus persequar. Dicam solum in erudienda virtutibus omnibus Germanica illa florentis-

ſima juventute ita ejus induſtriam eſſe verſatam, ita probatam operam, ut eam ab externorum cultura ad domeſticorum commodum utilitatemque traducendam moderatores judicarint.

XII. Itaque a Collegio Germanico moderatorum ipſorum juſſu in Collegium Romanum commigravit, eique longe operoſiſſima delata provincia fuit, ut juniorum noſtrorum excolendis virtute animis operam navaret ſuam. Quam egregie & cumulate huic muneri ſatisfecerit, ex ejus virtutibus, de quibus paullo infra dicemus, intelligetur. Abdicatis jam multo ante prophanis ſtudiis, quod ex laboroſiſſimo munere ſuperer at temporis in ſacris litteris penitus cognoſcendis poſuit,& ſelectiora quædam ſacræ Scripturæ loca exponere aggreſſus eſt. Qui Latinam & Græcam linguam optime norat, & Hebraicam etiam guſtarat, aliquid hoc in ſtudii genere efficere potuit, quod vulgare non eſſet, & vero etiam quod quam pauciſſimis propter linguarum ignorationem, Græcæ præſertim atque Hebraicæ, conceſſum. Itaque epiſtolas bis centum de difficilioribus ſacrorum Bibliorum locis ad Anonymum quendam pereleganti Etruſco ſermone conſcripſit, quibus in Latinam linguam pari elegantia vertendis intentus cum eſſet, & jam ad ſeptuageſimam ſeptimam epiſtolam perveniſſet, ejus obitu utilis adeo interceptus eſt labor. Has epiſtolas qui legerit, hominis ingenium, judicium, doctrinam, & linguarum peritiam non poterit non admirari. XIII.

XIII. Ac jam ut aliquid, quandoquidem satis de Sanctini studiis ac muneribus diximus, de virtutibus dicamus, pauca quædam de iis pro Commentarii modo delibabimus. Generatim atque universe dici potest, nullam earum virtutum ei defuisse, quas Societas a suis alumnis requirit. Etenim duo illa, quæ nostri Instituti propria sunt, mire conjunxit, nimirum sanctitatis præstantiam cum doctrinæ excellentia. Et primum quod ad religiosam, quam profitebatur, Paupertatem attinet, eam maxime coluit. Dicam rem sane admirabilem, sed veram, sed certam, sed exploratam, mihique ipsi cognitam. Præter Christi crucifixi, & B. Virginis imagines, sacrum codicem ad horas Canonicas persolvendas necessarium, aliquot ad corporis afflictationem instrumenta & pauca admodum scripta apud se habuit nihil. Cum scribo *nihil*, qui legunt, sciant me non exaggerate scribere, sed latine, sed historice. Quodcunque ei cubiculum quocumque instructum modo obtigit, quale primo ingressu repperit, tale in egressu reliquit. Nihil ademit, nihil addidit, nihil immutavit, ne clavum quidem unum aut fixit aut refixit. Forficulas ad subsecandos ungues nunquam requisivit, sed quas ad emungendam lucernam sibi traditas invenit, ad eum usum traduxit. Leviora hæc videri fortasse nonnullis poterunt, sed ab idoneis harum rerum æstimatoribus tanti fient, quanti merentur fieri. Munuscula, quibus discipuli

Magiſtrorum laborem remunerari interdum ſolent ; ſi recuſare non poterat , ea ne minimo quidem temporis ſpatio apud ſe eſſe patiebatur .

XIV. Hæc de Paupertate plane ſingularia ; nec ſingularia minus de ejus Abſtinentia ſubtexam . Nunquam delicatiore illa Mexicana potione , cujus uſus tantopere nunc invaluit , matutinam inediam levavit ; nunquam Arabica faba, nunquam Sinenſi folio ſtomachum fovit ; nunquam delicatiores, cujuſque generis forent , liquores guſtavit , nunquam eo pulvere uſus eſt , qui ad levandam capitis gravedinem adhibetur ; nunquam , præter ſtata prandio & cenæ tempora , quidquam interdiu , uti fit , attigit , nec cruſtula , nec bellaria , nec placentas , aliaſque hujus generis delicias . Cum ſcribo *nunquam* , hic quoque non exaggerate , ſed vere , ſed hiſtorice ſcribo . Utebatur , cum aliquid hujuſmodi oblatum eſſet, excuſatione valetudinis , quod diceret has res aut noxias eſſe ſibi , aut certe parum ſalubres . Hoc modo ſe expediebat , & affectæ valetudinis obtentu, quæ naturæ minime neceſſaria , ſed gulæ potius irritamenta exiſtimabat , ſine cujſquaum offenſione reſpuebat .

XV. Quod ad reliquas corporis afflictationes ſpectat , eas ab eo frequenter fuiſſe uſurpatas , & conſcientiæ ſuæ moderatores teſtantur , & flagella , & catenulæ ferreæ , aliaque hujuſmodi inſtrumenta , quæ ſola excruciandi corporis ſui ſtudium ei reliqua fecerat , & ſo-

& sola post ejus obitum inventa sunt, satis aperte declarant. Neque vero his solum corporis afflictationibus contentus fuit, sed nullam etiam elabi sibi occasionem passus est, quæ ei sese affligandi sui obtulerit. Fere nunquam fenestræ valvas recludebat, nisi interdum superiores ad puriorem aerem excipiendum gravioremque ejiciendum. Inferiores autem, unde aut transeuntes aspiceret, aut aliquid, quod visendi cupiditatem excitaret, intueretur, reseravit nunquam, ut musculi eo adrepserint, & nidulum construxerint, qui, patefactis a me forte valvis, stridore valvarum perterriti aufugerunt. Usque adeo illis eo loco quietis ac pacatis per Sanctinum esse licebat. Ego vero ridens suos ei gratulatus sum hospites; qui blande subirascens mihi succensuit, quod bestiolis nullam sib molestiam afferentibus molestus fuerim.

XVI. Perquam raro domo egrediebatur, & integros menses domi clausus mansisset, nisi eum identidem ad mecum una egrediendum compulissem. Quo vero libentius id a me sibi impertiri officium pateretur, fere ad remota urbis loca, & ad sacras Basilicas religionis ergo invisendas itabamus. Turbam enim oderat, atque a populi strepitu quam maxime refugiebat. Hoc tamen qualecumque solatium sic temperabat, ut oculos fere nunquam de humo sustolleret. Pileo paullo infra frontem inclinato, & collecto ante pectus pallio per vias incedebat.

XVII. Quod ad leges ſui Ordinis attinet, in iis obſervandis ejus maxime enituit diligentia. Talem ſe præſtitit ſemper, qualis Tyro fuit. Nunquam fervor ille, quo primum incaluit, non modo non reſtinctus eſt, ſed ne intepuit quidem. Permotiones animi omnes probe edomitas habuit atque compreſſas. Demiſſe admodum de ſe & ſentiebat, & loquebatur. Nihil in eo arrogans, nihil, quod inſolentiam redoleret; nullum prorſus in eo ne leviſſimæ quidem oſtentationis indicium. Exiſtimationem hominum contemnebat, & vero etiam externorum præſertim refugiebat aſpectum; amabat deſpici, & nullo loco haberi. Hoc cauſæ fuit, cur ejus tum ſanctitatis tum ſapientiæ opinio domeſticis ſepta parietibus ſe continuerit. Scripta ſua prope omnia aut ipſe diſtraxit, aut flammis abſumpſit. Quare præter eas, quas dixi epiſtolas, & quoddam carminis fragmentum, nihil eorum, quæ ſcripto mandavit, remanſit, unde ejus in humanioribus præſertim diſciplinis excellentia cognoſci poſſit ac judicari.

XVIII. Jam quæ de ejus Obedientia reliquiſque virtutibus commemorari poſſunt, non ego hic ſcribendo perſequar; facile enim ex iis, quæ jam indicavimus, colliguntur. Orationis ſtudium ei præcipue cordi fuit, multumque in precibus atque in rerum divinarum commentatione impendebat temporis. Quæ ſecum ipſe de rebus divinis commentabatur, ea, prout ſeſe offe-

offerebat occasio, aut habendis concionibus, aut *Exercitiis spiritualibus* tradendis, aut serendis de rebus cælestibus colloquiis, aliorum utilitati expromebat. Ego eum sæpius his de rebus disserentem audivi; utinam fuisset ex ejus sermonibus is perceptus a me fructus, qui percipi certe poterat & debebat.

XIX. Summo erga Divinam Matrem pietatis studio ferebatur, summo erga sacrosanctam Eucharistiam, summo erga acerbissimos Christi Reparatoris nostri cruciatus. Divinum quotidie celebrabat Sacrificium, & hanc ob causam, quod sancta sancte tractari debent, de cordis munditie anxius maxime erat atque sollicitus. Sæpe conscientiam expiabat suam, excutiebatque *pulverem illum, quo necesse est*, ut inquit S. Leo, *etiam religiosa corda sordescere*. Sic denique se gerebat in omnibus, ut omnibus exemplo esset. Sanctitni aspectus ipse, totius oris & corporis compositio, vox fere demissa, incessus gravis & moderatus, mitissimum ingenium, omnia denique absolutum quoddam virtutum omnium exemplar intuentibus exhibebant.

XX. Acta hoc, quo diximus, modo vita, vitæ exitum ipsi convenientem sortitus est. Jam inde a multo tempore molestum contraxerat morbum ex humorum vitio quodam, quod quandiu se in cutem extulit, ex eaque emersit, tandiu tolerabile fuit, neque admodum periculosum judicari potuit. In hoc potissimum

 Medi-

Medicorum ars incubuit, ut illud ad exitmas corporis partes adducerent, nec ab iis quidquam provisum magis, quam ut ne cursum detorquens contagiosa lues ad interiora pervaderet. Accidit, ut eodem tempore, & eodem plane morbo graviter decumberet Pater Asdrubal Mattejus Collegii Romani Rector, quem lues illa ipsa corripuerat, in intimaque præcordia sublapsa exstinxerat. Hic enim vero quam fervens in Sanctino Charitas esset, quantusque vitæ contemptus, patuit. Ægrotanti Rectori erat a *Confessionibus*; nemo dubitabat, quin, si ei morienti dies noctesque assideret, eodem ipse mortis genere e vivis eriperetur. Discrimen vidit ipse Sanctinus, &, quæ humana infirmitas est, discrimen expavit. Sed vera Charitas *misit foras timorem*. Suo muneri deesse noluit, & qui probe norat illud ex Evangelio *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, vitam contempsit, ægrotanti intrepide adstitit, & nullum Charitatis officium a se requiri passus est, quod ei ad mortem pie sancteque obeundam non contulerit.

XXI. Exstincto Patre Mattejo, quod omnes eventurum jam ante præviderant, & ipse Sanctinus, cum se prope certo mortis discrimini objecit, in primis viderat, evenit. Etenim non multo post eodem prorsus mortis genere, & ejusdem tabis contagione sublatus interiit. Lues enim, qua, ut jam diximus, la-

bora-

borabat, intimas in partes subrepens, ita præcordia corripuit, nulla ut inde Medicorum arte evelli potuerit. Qui vitam sanctissime instituerat suam, intrepido ac læto ore mortis sustinuit aspectum. Charitate, *quæ nunquam excidit*, confirmatus, & optimæ spei plenus, susceptis summo pietatis affectu *Sacramentis* omnibus, quæ impertiri morientibus solent, postquam alumnos suæ potissimum fidei atque institutioni concreditos ad omnem virtutem cohortatus est, placidissime excessit e vita. Hic exitus Sanctini fuit, hæc ei mors obtigit vitæ sanctissime actæ prorsus consentanea, ut hoc illi mortis genus non tam a Deo tributum, quam ejus eximiis virtutibus retributum esse videatur.

XXII. Ejus mortem Collegium Romanum ægre admodum tulit, et quam de eo habebat tum sanctitatis, tum doctrinæ opinionem apertis indiciis declaravit. Unanimi juniorum præsertim consensu ejus exprimendæ imaginis, quæ inter illustrium virorum effigies collocaretur, petita a Præsidibus facultas est, & impetrata. Expressa imago fuit, atque imagini adscriptum elogium, eo potissimum nomine, quod *morum innocentia, orationis studio, in servandis nostris legibus exactissima diligentia fuisset commendatissimus*. Obiit III. Non. Majas, An. MDCCLXVI. Ætat. suæ LIII. Fuit statura justa, colore albo, capillo nigro, exporrecta fronte, ea totius oris conformatione, quæ animi ingenui-

genuitatem & candorem indicaret. Risus quidam modestiæ & verecundiæ plenissimus in ejus facie fere semper efflorescebat. Vox lenis admodum & demissa, quam efferre nunquam consueverat. Supra quam dici aut credi potest suavissimi ejus mores fuerunt, ut propterea plurimum ab omnibus diligeretur. Neminem unquam ne leviter quidem carpsit, nec cuiquam vel minimæ quidquam molestiæ intulit; quietus, pacatus, liberalis, benignus, bene semper de omnibus mereri studuit.

XXIII. Ego vero, qui eum & dilexi plurimum, & suspexi, ejus obitum ægerrime tuli, distracto a me suavissimo socio, & meorum consorte studiorum. Cum meum tunc Electricorum opus in manibus haberem ejus laudandi occasionem elabi mihi minime sum passus, idque præstiti facta de eo perhonorifica mentione. In hoc vero non tam secutus Poetarum morem, quam obsecutus amori meo eos versus scripsi, qui lib. vi. meorum Electricorum leguntur, quibusque non tam ejus deflevi mortem, quam ex intimo animi sensu eam deprompsi, quam summam semper habui de tanto viro, & doctrinæ & sanctitatis opinionem.

Particulam elegiaci carminis, quam in fine hujus sui Commentarii se exhibiturum Parthenius recepit, hanc nos idoneis Lectoribus hic exhibemus, & confidimus fore, ut ii ex hac una, velut *ex ungue leonem* conjiciant qualis quamque excellens in pangendo carmine Sanctinus fuerit. Historiam in sua lucubratione quadam cum Poesi de dignitatis præstantia certantem, & multa, quæ causæ suæ patrocinabantur, persecutam induxerat, tum Poesim inducit, atque ita contra Historiam pro se loquentem facit.

At


At non ille tuus tecum, nec talia sensit
Heros Argiva primus in Historia
Rex Macedum, qui cum longarum ambage viarum
Se tandem Æacidæ sisteret ad tumulum,
Et prius insueto tactus præcordia motu
Ora Deo dignis proluerét lacrymis;
Non illi Æmoniam, non mœnia Larissæ,
Aut conjuratorum agmina Myrmidonum
Invidit, non belli ullos & pacis honores,
Rex ipse, & magni conditor Imperii,
Innumeras ducens devicto ex orbe catervas,
Et Bacchi laudes unus & Herculeas
Æquare, amborumque unus superare labores,
Et patrem merito visus habere Jovem.
Unum illi invidit divini Vatis honorem,
Diaque præconis carmina Mæonidæ.
Hac una sensit se Vatis laude minorem;
Nimirum hoc illi invidit, & ingemuit.
Cum vero insontes voluit subvertere Thebas
Et laudata Deum mœnia diruere,
Jamque furens circum fremeret per compita miles,
Non usquam precibus parcere non lacrymis
Jussus; jamque alto ruerent a culmine Thebæ,
Et circum immensis ampla voluminibus
Sese ageret, lateque ingenti flamma ruina
Delubra atque arces sterneret aerias;
Hæsit Pindarica victor violentus in æde,
Tantisque In rerum cladibus atque hominum,
Jllam unam (tanta est divini gratia Vatis)
Illæsam extemplo jussit & incolumem.



DE

JOANNE POMPEJO
MANZOCHIO

COMMENTARIUS III.



UÆ de Joanne Pompejo Manzochio mandabo litteris,ea non veritati minus, quam amicitiæ officio tribuam. Nemo mihi illo carior, nemo jucundior, & voluntatum conjunctione, & studiorum similitudine. Pro mutua familiaritate ego scripta mea cum eo communicabam, & mecum ille vicissim sua. Atque ille quidem in studiis meis mihi summo adjumento fuit,propterea quia me pro ingenio meo animum persæpe despondentem, ac prope rebus meis desperantem hortationibus ipse suis erexit & confirmavit, atque ad ea, quæ subinde publici juris feci, perpolienda atque in lucem edenda auctoritate sua potissimum impulit.

II. Natus est Manzochius in oppido quodam, quod *Marcitelli* appellatur, non longe, ut opinor, a Marsis. De anno, quo editus in lucem fuit, nihil habeo comperti, non quod ego omiserim diligentiam inquirendi, sed quod eam aliena incuria inanem reddi-

reddidit. Nactus est parentes honesto genere, & si ex filiorum pietate parentum probitatem conjicere licet, non solum honestate generis, sed virtutum etiam commendatione spectandos. De ejus prima educatione illud mihi solum exploratum est; Puerum egregiam animi sortitum indolem se parentibus suis, eorumque piæ institutioni maxime docilem præbuisse atque morigerum. Vix ad eam pervenit ætatem, qua ad scholas publicas itari solet, Aquilam in Societatis Jesu Gymnasio bonis moribus & artibus erudiendus missus est. Hic dici nequit, ut statim se fingendum ad Magistrorum suorum arbitrium formandumque permiserit; hic pietatem combibit; hic serio ad bonas artes incubuit, ut condiscipulis suis exemplo proponi, & esse incitamento potuerit. Doctores in litteris nactus est eximios, de quibus vir factus, cum de iis judicare poterat, sæpe loquebatur, nec vero sine laude, & grata memoris erga eosdem acceptorum beneficiorum animi testificatione.

III. Posita aliquot annos, & bene locata in Humanioribus litteris opera, ad graviores disciplinas ediscendas animum appulit, in quibus non minus, quam in politioribus artibus acerrima ejus ingenii vis, & præstantia eluxit singularis. Illud Philosophiæ genus, quod ejus ferebant tempora, doctus est; neque vero se in eo operam male posuisse suam unquam existimavit; quippe qui dicere consueverat, se Peripa-

ripateticæ Philoſophiæ debere plurimum, quod illa & ejus acuiſſet ingenium, & eum ſubtilem effeciſſet Dialecticum. Et merito quidem. Nam quid ſine ingenii acumine, & ſine Dialecticæ præſidio effici laude dignum a quoquam poteſt?

IV. A Philoſophia ad Theologiam progreſſus in eam probe atque intime percipiendam totus incubuit. Hac facultate, dum vixit, plurimum delectatus eſt, in ejuſque ſcientia maxime excelluit; quod oblata occaſione ſatis luculenter oſtendit. Se enim habendis concionibus non parum exercuit, quas qui audiebant hujus facultatis non ignari, quam certus in ſententiis, quam nihil titubans in doctrina, quam uno verbo Theologus eſſet, facile judicare poterant. Abſoluto cum laude ſtudiorum ſuorum curriculo Sacerdos conſecratus eſt. Sua eum pietas, quam jam inde a teneris annis penitus imbiberat, ad hoc ſanctioris vitæ genus amplectendum potiſſimum compulit. Ab inito Sacerdotio, quoad vixit, hortatu Apoſtoli, *ſibi & doctrinæ* diligenter *attendendum* putavit; & vero utrique officio egregie ſatisfecit.

V. His doctrinarum & artium præſidiis inſtructus relicta patria Romam venit, quo fere ex omni regione, ſiquidem facultas ſuppetat, tanquam ad commune domicilium, concurri ſolet. Ut venit, ſe ſtatim Franciſco Cardinali Barberino applicuit, qui Romæ eo tempore & auctoritate, & opibus florebat plu-

plurimum, & optimis ingeniis mirifice delectabatur. Ab eo inter familiares adscitus se in ejus animum & doctrina sua, & modestia, quæ doctrinam commendabat, insinuavit, ut non vulgarem in ejus gratia atque existimatione tenuerit locum. Ejus opera Cardinalis in iis muneribus, quæ doctrinæ præstantiam requirebant, plurimum usus est, eique Manzochius, qua erat doctrinæ excellentia præstans, operam & navavit, & probavit suam. Quandiu vixit Cardinalis, eum aluit, & carissimum habuit; moriens autem non omnino destituit, relicta ei testamento quinquaginta aureorum summa, tenui illa quidem, sed annuo proventu non contemnenda.

VI. Aula digressus multis muneribus functus est, quorum partes cumulate implevit. Ob insignem probitatis opinionem, & præstantem Latinæ linguæ peritiam certatim a pluribus Episcopis expetitus fuit, ut eo Doctore in propriis Seminariis, & vero etiam Rectore uterentur. Exorari se passus est Manzochius, & hanc laboriosissimæ provinciæ partem libenter suscepit, non ullo proventu illectus, sed ut ne oblatam sibi juvandorum hominum & maxime adolescentium occasionem elabi sineret. Hoc suscepto munere nihil prætermisit eorum, quæ ad imbuendos & bonis artibus, & bonis moribus adolescentium animos pertinebant. Pluribus in Seminariis hoc munus sustinuit, sed eàdem ubique diligentia, eàdem assiduitate,

sum-

summa ubique optimi ac præstantissimi Doctoris existimatione. Ubi vero utrumque munus & Rectoris & Doctoris conjunxit, quæ major ei tributa auctoritas erat, eam in majus & subditorum, & discipulorum suorum commodum atque utilitatem contulit. Verum sive laxior, sive contractior ejus auctoritas foret, nunquam non exstitit maxime salutaris.

VII. Pluribus annis in docendo consumptis, & laboriosissimo munere fatigatus, quod jam affectæ valetudini noxium experiebatur, ei nuncium remisit, neque se plurimorum Episcoporum allegationibus, atque adeo precibus exorari passus est, ut quam semel dimiserat provinciam, illam iterum susciperet. Uni Cardinali Spinello Episcopo Prænestino repugnare non potuit, quin intermissum munus resumeret, & Præneste contenderet, ea tamen conditione, ut absoluto sex mensium, quos ipse præfiniverat, spatio, sibi bona cum Cardinalis venia Præneste discedere, & Romam remigrare liceret. Sed vix exactis sex mensibus, Spinello vita functo, qui certe pro ea, quam habebat de ejus probitate & doctrina, opinione, quod semel arripuisset, sibi tantum eripi bonum non sivisset, eo, ut diximus, vita functo ipse tanquam e laqueis expeditus Romam statim evolavit.

VIII. Atque ut hic aliquid singillatim de ejus studiis dicam, fuit Manzochius & Theologus insignis, & Philosophus in paucis acutus & subtilis. Verum gravioribus

ribus ſtudiis prætermiſſis,pauca quædam de humanioribus atque elegantioribus litteris delibabo. Primum linguam Latinam egregie calluit, in eaque ſe plurimum exercuit; & vero etiam intimam ejuſdem ſcientiam, ut ejus ſcripta declarabant, aſſecutus erat. Latinam quoque Poeſim vehementer adamavit, & legendo obſervandoque perfecit, nulla ut earum venuſtatum, quibus illa maxime commendatur, in ſuis carminibus deſideraretur. Multa quoque vernaculo ſermone & proſa & verſu conſcripſit, in quibus idem elucet ingenium, idem ſubactum judicium, eadem elegantia & venuſtas.

IX. Optandum quidem erat, ut ſua ipſe ſcripta recognoſceret, & ad limam exacta ac perfecta ederet; ſed pro ſua ſingulari modeſtia illa neglexit, nec publica luce digna exiſtimavit. Cum ego eum ſæpe & alii hortarentur, ut id faceret, nec tot præclara ingenii ſui monumenta perire ſineret, modeſto quodam riſu ſe facile cum a me, tum a reliquis hortatoribus expediebat. Contentus amicorum plauſu atque approbatione, quibus quæ ſcripſerat legenda tradere ſolitus erat, quidquam præterea non requirebat, nihil de inani nominis immortalitate ſollicitus. Cæterum in humanioribus litteris ita præſtitit, ut nemini, quos quidem ætas hæc noſtra tulit, hac laude concederet. Hoc non tam meum, quam doctorum hominum, qui ejus elegantiſſima ſcripta non acri ſine cenſura lege-

runt, judicium est. Quam ipse, ut dixi, de suis edendis scriptis suscipere curam noluit, ego post ejus obitum libenter suscepissem, si scriptorum tanti viri facta mihi fuisset copia; sed ea, ipso vix e vivis erepto, statim Roma, una cum libris ab eo relictis, exportata fuerunt. Pluribus litteris institi, ut hanc ob causam Romam iterum comportarentur, sed nullo semper eventu. Quare, desperato negotio, pluribus urgere rem epistolis desii, satisque me voluntatem meam amico vita functo probasse existimavi. Nunc vero quid de tot egregiis hominis ingeniosissimi monumentis factum sit, prorsus ignoro; sed quid futurum sit, ipsa satis edocet experientia. Unum ejus elegantissimum carmen editum exstat in fine meorum Electricorum, aliud in fine hujus Commentarii speciminis ergo dabitur, ex quibus solis me non assentatorie, sed vere scribere dignosci poterit. Reliqua scripta hominum sive inscitia, sive incuria facile perdet.

X. Qua re docemur quam inani contentione frangamur, qui totam in studiis ætatem conterimus, & nescio quam nominis perennitatem somniamus. Male enim vero nobis ipsi consulimus, nisi ad ejus vitæ, quæ nullo fine circumscribitur, beatam immortalitatem conatus ipsi nostros contentionesque dirigamus. Præclare in hanc sententiam, ac plane more suo philosophice Tullius in Somnio Scipionis, cujus carptim verba excribere placet, quibus Christiani docemur ab Ethnico cælestia sem-

per

per spectare, humana contemnere. *Tu*, inquit, *quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum, aut cujusquam nostrum nomen vel Caucasum transcendere potuit, vel Gangem transnatare. Quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis ultimis, aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem, qui de vobis loquuntur, quam loquentur diu? Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest, ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, & certe meliores fuerunt viri. Igitur alte spectare si voles, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum. Suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant; sed loquentur tamen. Sermo autem omnis nec unquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & oblivione posteritatis exstinguitur.*

XI. Hoc persuasum cum haberet ex longa rerum di-

divinarum commentatione Manzochius in id potissimum semper incubuit, ut animum suum ad omnem virtutem formaret, atque ad perfecti Sacerdotis normam exigeret. Id vero postremis vitæ suæ annis ut certius assequeretur in Sodalitium quoddam, quod ab *Apostolis* nomen habet, admitti expetivit, & obtinuit. Sodalitium hoc in Collegio Romano adolescentium Collegium ipsum frequentatium bono institutum olim fuit a Patre Pompejo de Benedictis viro sanctissimo, & salutis animorum studiosissimo. Floruit autem nullo non tempore magna copia virorum & sanctitate & doctrina excellentium. Longum horum possem hic catalogum texere, nisi brevitati studerem. Nuperrime Joannes Baptista de Rubeis Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin Canonicus ex eodem Sodalitio unus insigni eximiæ sanctitatis opinione decessit.

XII. In hoc Sodalitium admissus Manzochius dici non potest, quanta assiduitate ac diligentia omnes egregii sodalis partes fuerit executus. Sodalitio nunquam abfuit, sed inter primos semper adfuit. Sodalitii vero moderator nunquam ejus operam in omnibus, quæ res & tempus poscerent, requisivit, quin ad omnia præsto esset, *omnibus omnia factus* Manzochius. Ad Nosocomium singulis hebdomadis Collegii Romani discipulos eo itantes comitabatur, iisque exemplo suo præibat, quo & inservire ægrotis, & eos in Christiana doctrina erudire, & ad patientiam confirma-

mare edocebantur. Idem singulis diebus festis solebat eo se conferre, quo reficiendi animi causa convenire adolescentes iidem solent, atque hic nihil omittere, quod ad eorum & animi relaxationem, & in virtute profectum pertineret. Idem etiam, quo singulis prodesse certius posset, eos sevocare, & remotis arbitris si quid in iis animadvertisset a bonis moribus dissentaneum, peramanter reprehendere, & unumquemque de officio suo commonere. Hac industria atque assiduitate dici nequit quam multos adolescentium juverit, quam multos a vitiis avocarit, quam denique multos ad virtutem incitarit; quo certe nomine Collegium Romanum parem ei referre gratiam non poterat, cujus opera, quandiu illud celebravit, maxime utilis ad rectam adolescentium institutionem extitit ac salutaris.

XIII. Neque vero solum pietatem impense excoluit, sed etiam bonarum artium studia auctoritate sua plurimum fovit. Ego sane me summum ei debere beneficium profiteor, quod, cum Rhetoricam traderem, auditores meos propemodum duxerit suos. Cum litterariæ a me habebantur exercitationes, & quod quisque privatim exarasset publice pronunciabat, præsens aderat Manzochius; attentissime quæ ab unoquoque pronunciarentur, excipiebat, fere semper manu ad aurem admota, ne ei verbum vel unum excideret; tum quidquid peccatum esset me volente,

palam reprehendebat; collaudabat etiam si quid laude dignum occurrebat. Quæ res ad acuenda discipulorum ingenia in utramque partem sive quid recte scriptum, sive quid in scribendo peccatum esset, mirum in modum valebat.

XIV. Sed brevis Commentarii fines transgrederer, si quæ plurima a Ioanne Manzochio in Collegium Romanum collata beneficia sunt, singula persequi vellem. Jam vero ut aliquid de ejus virtutibus, quibus præcipue enituit, dicam, hoc de Manzochio vere potest affirmari: Nullam earum ei defuisse virtutum, quæ hominem pium ac religiosum maxime commendant. Pravas animi permotiones probe edomitas habuit. Itaque nemo eum aut iratum, aut aliquo minus recto animi affectu concitatum vidit. De se demisse admodum sentiebat, ingeniumque suum, quo summo pollebat & acerrimo, tantum aberat ut efferret, ut potius illud verbis extenuaret; quæ causa fuit, cur ea, quæ scripsit neglexerit ipse atque contempserit. Si quid forte in iis animadversum esset, quod minus recte scriptum videri posset, corrigere statim, atque adeo inducere non recusabat. Quæ res & modestiam hominis singularem, & singulare item ingenium declarat, contra atque in arrogantibus atque indoctis evenire solet, qui cum sibi plus tribuant, quam aliis deferant, nulla auctoritate adduci possunt, ut, quæ semel scripto mandarint, inducant aut corrigant.

XV. Quo-

XV. Quotidie ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſine intimo pietatis ſenſu offerebat. In rerum cæleſtium commentatione multum temporis impendebat. In excutienda conſcientia diligens erat & ſeverus, in eaque expianda frequens; in precibus, quibus ſibi Deum propitiabat, aſſiduus. Erga Beatam Virginem ſingulari pietatis affectu ferebatur. Oblata occaſione ejus celebrandi laudes, ea fere expromebat, quæ non tam lecta atque audita, quam ab ipſo corde profecta videbantur. Sæpe me ad aliquid de divina Matre ſcribendum hortabatur, cui reſpondebam, Me id quidem vehementer cupere, ſed mihi nequaquam ingenii vires tanto argumento pares ſuppetere. Acerbiſſimos Chriſti Domini cruciatus animo propoſitos frequenter habuit, atque hac pia cogitatione ſe ad ſpem erigebat, ſeque erga Deum, qui tot ac tanta hominum cauſa pertulerat, præcipuo amoris æſtu inflammari ſentiebat. Afflictationes vero corporis ſui non omiſit, quod Apoſtoli exemplo *caſtigabat, & in ſervitutem redigebat, ne cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur*. Etſi graviſſimo morbo implicitus eſſet, quod ex omenti diffractione contraxerat, ferreas tamen catenulas acuminibus introrſum exſtantibus, & cutem non acri ſine doloris ſenſu fodicantibus, ad lumbos præcinctas atque conſtrictas adhibere ſolitus erat.

XVI. Hæc præcipuæ Manzochii virtutes fuerunt, qui-

quibus se ad exitum vitæ anteactæ respondentem, multo maturius, quam exitus ipse adventaret, comparavit. Duos fere ante annos, quam e vivis eriperetur, periculoso morbo decubuerat, a quo tametsi sese expediverat, ejus tamen valetudo multum immutata fuit. Vitam fortasse propagare suam longius potuisset, si iis morem gerere non detrectasset, qui de ejus ipsius vita anxii erant atque solliciti. Hi assidue illum hortabantur, ut aliquid de immodicis laboribus, quos proximorum salutis causa suscipere consueverat, remitteret; sed tanti hæc fluxa ac mortalis vita Manzochio non fuit, ut ejus causa hac in re sibi obtemperandum esse amicis existimaverit. Itaque vix aliquantum ab eo fuit, quem diximus, morbo confirmatus, ad intermissa studia ac pristina rediit munia. Frequens in Collegio Romano, creber in Nosocomiis, assiduus in Sodalitio, ac prorsus idem qui antea, strenuus, gnavus, impiger, operosus. *Animus* quidem *promptus erat*, *&* alacer, sed *caro infirma* tantum ferre diutius laborem non potuit.

XVII. Hoc ipse animadvertit, & qui se a morte non longe abesse sentiret, illud sæpe usurpabat, modicum sibi temporis superesse; & vero divinus fuit. Mense Septembri an. MDCCLXVIII. VI. Id. ejusdem mensis, repentino intestini defluxu, cum id nulla Medicorum opera, unde delapsum erat, revocari potuisset, amicis ignorantibus, nec tam subitum ca-

ſum pertimeſcentibus, improviſo quodam mortis genere exſtintus eſt. Exſtintus autem die nona, ut diximus, Septembris, quæ ſalutarem Divinæ Matris ortum conſequebatur, & in feriam ſextam inciderat, ut videri potuerit hoc præfinitum illi non ſine peculiari numinis providentia vitæ ſpatium fuiſſe, quod ſubſequens Matris ortum Filii obitum exciperet.

XVIII. Dixi improviſo quodam mortis genere exſtinctum fuiſſe Manzochium; ſed hoc de inſigni probitate viro affirmari omnino non debet. Improviſa quidem eos adoriri mors poteſt, qui nunquam de illa cogitant, & perinde vivunt, ac ſi nunquam eſſent morituri. Manzochio vero improviſa mors non fuit, ſed multo ante præviſa, quippe qui vitam jam inde a primis annis ita inſtituerat ſuam, ut ſibi moriendum eſſe quotidie cogitaret. Præterquamquod, ut jam diximus, mortem ſibi inſtare præſenſerat; hac autem præſenſione commonefactus, non dubium quin ſibi conſuluerit, qui illud Auguſtini multo jam ante perſpectum habuerat atque propoſitum; *Neminem etſi nullius ſceleris ſibi conſcium committere debere, ut ſine pœnitentia migret e vita*. Et vero pridie quam eum mors occupaſſet, rite conſcientiam expiaverat ſuam, & ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium obtulerat, quod ei ad capeſſendum æternitatis iter pro *Viatico* fuit. Ejus obitum amici luxerunt, luxerunt Sodales ſui, luxit Collegium Romanum, illi, quod fidelem ami-

amicum, isti, quod sodalem optimum, Collegium vero, quod strenuum *in vinea Domini operarium* amisit. Ego sane pro mutua amicitia unus omnium fortasse ejus obitum acerbissimum sum expertus, amici, hortatoris, ac studiorum meorum consortis desiderio.

XIX. Vixit carus omnibus, qui ejus consuetudine usi sunt, propter jucundissimos mores. Quandiu vixit, tandiu summa & eximiæ doctrinæ & egregiæ probitatis opinione floruit, &, si meo huic commentariolo perennare contigerit, florebit in posterum. Conatus enim sum illum talem exprimere, qualis reipsà fuit, ac longo mihi usu & consuetudine probe cognitus esse debuit. Majorem certe fortunam promeruit; & vero ipsi ad altiorem dignitatis gradum aditus patuisset, si illum sua ei modestia, & rerum humanarum contemptus non præclusisset. Quod vero in summa ejus laude ponendum est, ita vixit, ut *acceptus & Deo & hominibus* fuerit. Nam quod ad homines spectat, summa in eo facilitas erat, humanitas, comitas, & nullo fuco illita, ac plane candida morum simplicitas. Risus quidam ingenuitatis plenissimus fere semper in ejus ore efflorescebat. Vox leni quodam ad suavitatem inflexa sono non minus blande in aures, quam in animos audientium influebat. Deo autem acceptus quam fuerit suæ virtutes, quas indicavi, & mors pie & sancte obita, satis superque declarant.

Spe-

Specimen Poeticæ facultatis, qua maxime præcelluit Manzochius, hic habeat Lector, non electum illud quidem e multis, sed casu inter Parthenii scripta repertum, ex quo tum viri in condendo carmine facultas, tum historici in narrando veritas manifeste & citra omnem dubitationem lectoribus apparebit.

JOANNES POMPEJUS MANZOCHIUS AD RAYMUNDUM CUNICHIUM

Ut Poemata sua in lucem edat.

Suavidici quondam legerem cum docta Catulli
Nativo veteris plena lepore Lati
Carmina; seu deflet præreptum funere fratrem,
Turtur ut amisso mœsta gemit socio,
Sive comam stellas inter facit ille loquentem,
Dulci ut Reginam sublevet alloquio;
Seu te cantat, Hymen; & semihiante labello
Jam puer ad Patrem ridet amabiliter;
Seu quondam assurgens paullo majora canendo
Thetyos, & magni nobile conjugium
Æacidæ celebrat; sic me rapiebat, ut alter
Non magis, ipse licet dulce canens iterum
Callimachus redeat, quæque olim lusit Achæis,
Ausonijs reddat blandius illa modis.
Sed tamen, (Audite o, pietas queis ultima cura est;
Namque ego non pravo vera pudore tegam)
Non mihi, siqua fides, tanta dulcedine pectus
Perfundit residens illius ore lepos,
Quanta movet stomacho fastidia turpis amorum,
Quam lepido tractat carmine, materies.
Sic ut quisquis inest operi nitor obscuretur,
Fandi & quæcumque est gratia depereat.

Non

Hic mihi non blando fe præbeat ore Cupido,
    Non geminas quaffans acer Amor facülas,
Sed Pudor, & Pietas, quanquam non refpuat illa
    Innocuofque jocos, ingenuofque fales.
Proh quantum, hæc fiquis præftet feliciter audax,
    Debebit tanto cafta juventa viro!
Non erit, ut medijs in vepribus afpera lædat
    Spina manum, teneras dum legit inde rofas.
Non erit, ut limo turbatas hauriat undas,
    Dum cupit e liquido fonte levare fitim.
Hæc mecum. Ad noftras cum plane accommoda votis
    Pervenere manus carmina Cunichij.
Obftupui, fpectet ceu qui peregrina; negaffem
    Vatis tam felix effe recentis opus;
Ni nova materies prifcis incognita fæclis,
    Noftri hujus vatem temporis arguerent.
Perlege, quifquis eris vel durus cenfor, & acrem
    Fige aciem, fummo jure licebit agas,
Quid non Augufti dignum miraberis ævo?
    Quid melius dici, quid pote candidius?
Fidenter dico; Cunich legat ipfe Catullus:
    Laudator Cunich ipfe Catullus erit.
Non hic ille quidem molles reperiret amores,
    Quos neque laus colere eft, nec ceciniffe labor;
Sed quæ digna magis, minus & vulgata Camœnis,
    Atque indicta aliis plurima fufpiceret.
Multa ut prætercam, quæ poffe nitefcere cultu,
    Ceu loca dumetis horrida quifque neget,
Quam facili tractat, quam mira perpolit arte!
    Quanta fit Ærumnæ cum docet, utilitas;

Nunq

Nunc arctum per iter luctantis imagine lymphæ
Exſpuat ut cœnum turbida quæ fuerat;
Nunc auri, excoquitur cui fæx admiſſa per ignem,
Quodque faber multo ſedulus attenuat
Verbere, ut ornandis fiat laquearibus aptum,
Utitur; ipſam oculis ut prope rem (a) videas.
Nempe illi, & Muſæ, & Charites genus omne leporum
Certatim plena contribuere manu.
Ergo agite, o juvenes, accedite; moribus apta
Apta eadem ingeniis vena reperta nova eſt.
Non ego Cunichii vobis cum carmina monſtro,
Exiguæ rivum, vixque fluentis aquæ,
Sed fontem oſtendo, noſtra hæc quem protulit ætas,
Quo pellucidior nullus & uberior.
At tu flos Vatum, rerum dulciſſime, doctæ
Quid cunctaris adhuc edere mentis opus?
Quantumvis noſtri cenſura ſit acrior ævi,
Cenſuram vincis, vincis & invidiam.
Quod, ſi forte tuæ ſpernis præconia laudis,
At bene Te nobis conſuluiſſe juvet.


(a) Compoſuit Cunichius egregium Carmen elegiacum, quod inſcripſit *De bono Ærumnæ*, & uberem materiam luculentiſſime ac copioſiſſime tractat. Carmen hoc publici juris factum eſt primum Varſaviæ anno, ut opinor, 1770., deinde Cremonæ anno 1772.



DE

DE CONTUCCIO CONTUCCIO

COMMENTARIUS IV.



Fficia inter ſe ita fere apta ſunt & colligata, ut unum aliud excipiat, & veluti catenam quandam efficiant, cujus ſi primum annulum arripueris, ad teque pertraxeris, cæteri conſequantur. Hoc mihi uſuvenit, qui aliud ex alio ſecutus officium jam ad quartum Commentarium nihil tale propemodum cogitans pervenerim. Igitur aliquid nunc mandabo litteris de Contuccio Deceſſore in Rhetorica tradenda meo, qui ſuo jure videtur illud ipſum a me poſtulare officium, quod Sanctino eodem in munere Collegæ item meo jam perſolvi. Perhonorificam ego quidem in ſexto Electricorum meorum libro de Contuccio mentionem feci, ſed ea hujuſmodi non eſt, ex qua qualis quantuſque vir Contuccius fuerit, poſſit agnoſci. Enitendum igitur mihi nunc eſſe video, ut aliquid fuſius & explicatius de eo perſequar, & talem illum meo hoc commentario lectoribus exhibere coner, qualis re ipſa fuit, virum videlicet eruditum, & inter eruditos hac ipſa eruditionis laude præcellentem.

II. Con-

II. Contuccius Patriâ fuit Politianus, nobili loco natus. Patricias enim inter & præcipuas ejus urbis familias Contuccia familia numeratur. Parentes habuit Alamannum Contuccium Equitem S. Stephani, & Juliam Egidiam lectiſſimam fœminam, avita item generis nobilitate ſpectandam. Editus in lucem eſt anno MDCLXXXVIII. XII. Cal. April. De prima ejus educatione, primiſque litteris nihil habeo comperti; neque vero aliquid ut haberem magnopere mihi laborandum eſſe duxi. Itaque hanc ejus vitæ partem de commentario meo præcidam, quæ minus digna eſt, quæ cognoſcatur, atque ad ea feſtinantius properabo, quæ exploratius de Contuccio ſcribi poſſunt ac magnificentius. Facile enim, quæ ab Hiſtorico de primis exordiis reticentur, ex rerum conſequentium narratione conjiciuntur. Solet enim natura res ita ordiri, ut ex præclaris totius operis argumentis ipſa rudimenta ſatis appareant.

III. Contuccius vix exceſſit ex ephebis, editis jam egregiæ indolis atque ingenii certiſſimis indiciis, cum de vitæ ratione, quam potiſſimum iniret, ſecum ipſe deliberaret, a Deo in Societatem Jeſu vocatus eſt. Deo vocanti ingenuus adoleſcens, ſibi parendum eſſe cenſuit; & vero ſtatim paruit, atque familiæ illuſtris ſplendorem religioſæ vitæ humilitati atque obſcuræ conditioni generoſo rerum humanarum contemptu prætulit. Cauſa igitur ineundæ Societatis Jeſu Romam ve-

venit, & voti ſtatim compos factus de more tirocinium poſuit. Confecto tirocinio, cum ſatis politioribus diſciplinis excultus eſſet, Philoſophiæ operam dedit; a Philoſophia ad tradendam Grammaticam primum, tum ad humaniores litteras edocendas deſtinatus, muneri ſuo egregie ſatisfecit; ac reliquis item deinceps muneribus, quæ ei delata ſunt, ſumma cum laude functus eſt. Decurſo Theologiæ curriculo, Sacerdos initiatus, atque emiſſa ſtato tempore ſolemni *Profeſſione*, tranſactiſque omnibus pro recepta conſuetudine, ad extremum Rhetoricæ in Gregoriano Collegio tradendæ præficitur.

IV. Ludus hic ei velut quædam officina fuit, in qua multo potiſſimam vitæ ſuæ partem tranſegit; ſuum exercuit, diſcipulorum ſuorum procudit ingenium; quo ex ludo, tanquam ex illa eloquentiæ Iſocratea longe clariſſima officina, multi in arte Rhetorica excellentes prodierunt. Nec vero non etiam patuit quam a natura ad hoc munus factus eſſet, quantaque ad illud & ingenii & doctrinæ præſidia ſummo cum diſcipulorum ſuorum profectu attulerit. Hoc enim in munere totos triginta annos perſtitit, prope incredibili perſeverantia, ut, pene dixerim, loco moveri vix potuerit. Jam qualis in tradenda arte Rhetorica, quam tamdiu profeſſus eſt, ejus præſtantia fuerit, tum ex fama optimi præceptoris, qua maxime floruit, tum ex ejus ingenii, etſi paucis admodum, quæ edidit, monumentis demon-

ſtrari poteſt. Nam quod ad famam attinet, ea omnino ſumma fuit, ac plane talis, quam ei tam diuturna, & nunquam intermiſſa in litterario illo munere exercitatio conciliare debuit. Itaque ſuo tempore nemo fere exſtitit, qui Romæ aliqua doctrinæ commendatione præcelleret, qui ſe Contuccii fuiſſe diſcipulum non gloriaretur. Plena ſuis auditoribus Aula, referta Curia. Mitto illos, qui ad ſummos honores evaſerunt, ex quorum ampliſſimis ornamentis ipſa quoque creſcere magiſtri fama debuit atque exiſtimatio.

V. Qualis vero ejus tum in arte Oratoria, tum in Poetica fuerit excellentia, ex illis, quæ edidit, ut diximus, ſive potius edere coactus eſt, ingenii ſui monumentis demonſtrari certo non minus poteſt. Aliquot habuit Orationes in Collegio Romano, quæ publici juris factæ in manus hominum pervenerunt, ex quibus præſtans auctoris ingenium, & eloquentia ſingularis aperte declaratur. Omnium primam edidit, quam habuit in funere Cardinalis Joannis Baptiſtæ Ptolemæi; hanc excepit, quam dixit in ſolemni Benedicti XIII. electione; conſecuta eſt tertia, quam conſecrato in Pontificem Maximum Benedicto XIV. pronunciavit. Omnibus in his orationibus eminet culta quædam, ſubtilis, & crebra ſententiis dicendi ratio, quibus virtutibus hæ orationes, tametſi fuſiore ac magnificentiore ſtylo conſcriptæ non ſunt, quam maxime illuſtrantur.

VI. Jam, quod ad artem Poeticam attinet, in ea non ex-

excelluit minus, quam in Oratoria. Documento ſit carmen illud, quod de Monte Teſtaceo ſcripſit, & in Collectione Latinorum Poematum, quæ compoſita ab Arcadibus Romæ edita ſunt, legitur. Hujuſmodi carmen ſatis ejus hoc in Poematum genere præſtantiam declarat. Proxime enim ad Horatianam ſcribendi formam accedit, & ſubtiliſſimo quodam, quo maxime Horatius præcellit, juncturarum, & coagmentandorum verborum artificio commendatur. Probatiſſimos Scriptores legebat Contuccius, & ad eorum ſe fingere conabatur ſimilitudinem. Alienus quidem, ut ea ferebant tempora, a Martiali non fuit, qui tametſi ineptus ſæpe, & inficetus ſit, ſalſus tamen interdum, acutus, facetiis & leporibus affluens eſt, & certe eo carminis in genere, in quo ſe exercuit, princeps. Nam quæ de Catullo hoc ipſo in genere ſuperſunt, & pauca admodum ſunt, & multis partibus mutilata. Verum ſi Martiali delectatum eſſe Contuccium vitium a quibuſdam delicatioribus exiſtimatur, hoc non tam hominis, quam ejus ætatis vitium fuit. Prodiit Satyra quædam, egregie illa quidem conſcripta, quæ Arcadicam Collectionem illam, quam diximus, vehementer exagitavit. Carpſit etiam Contuccium noſtrum, quod in ſcribendo Martialem ſecutus ſit, ſed immerito. Nam ea, quæ a Contuccio edita ſunt, Martialem certe non ſapiunt. Ipſi autem ejus Collectionis Editori ignoſcendum arbitror, cui quidem in delectu ju-

dicium non defuit, sed, uti assolet, liberam optionis facultatem necessitas ademit. Nam quid facias, cum aut imperiosa nobilitas, aut importuna inepti alicujus ambitio potentiorum sustentata opibus irrumpat, & locum per vim in Collectione expugnet? Aut multorum offensiones subeundæ, aut non moleste ferendum cum bonis atque optimis carminibus locum esse mediocribus, & interdum etiam malis. Lector sapiens mala a bonis secernet, nec illis quidquam proderit societatem habere cum his, nisi forte apud indoctos, quorum contemnendum judicium est.

VII. Et vero quantum præ cæteris Poetis Virgilium Contuccius suspexerit, quantum adamarit, quantum summo illi in arte Poetica antistiti adhæserit, illud in primis Poema declarat, quod de *Plantis*, & scripsit, & inscripsit. Hoc certe Poema est hujusmodi, cui supremam si manum admovisset Contuccius, magnum sibi & Societati decus conciliasset. Etenim in hoc conficiendo unum sibi Virgilium tanquam absolutissimum exemplar in Georgicis imitandum proposuit. Et vero, quantum quidem ingenioso homini fas est, ad absolutum illud exemplar accessit, quod ipsa structura carminis, percussio pedum, in adhibendis cæsuris artificium, in conquiescendo modus, & certa ratio declarant.

VIII. Unde autem hujus condendi carminis occasionem arripuerit, ab eo præstat audire. *Cum*, inquit,

quit, *propter autumnales calores, quibus fortasse majores nunquam meminimus, in agri Tusculani, ubi feriatus apricabar, sylvam divertissem, consideremque ita, uti fit, umbroso in solo, zephyris circum leniter aspirantibus, contemplatus arborum, quibus tegebar, proceritatem, exceptoque ex deciduis earum fructibus semine; Hem, ajebam, tanta proceritate arbores ex tantulo semine! Quod cum tacitus mirarer, ut dudum ab litteris aberrabat animus, cœpi mecum cogitare, quod in natura fieri videremus, idem in litterarum tractatione usuvenire consuesse, ut ex minimis etiam præceptis, quasi quibusdam sapientiæ seminibus, summus literarum profectus, summa maturitas proveniret.* Tandem post multa, quæ ingeniose atque eleganter persequitur, ita concludit. *Ac mihi quidem hæc meditanti, provido sane casu, oblata materies visa est, ut, quandoquidem præfari me ex hoc loco oportebat, alio non decurrerem. Videbam enim si de Plantarum ortu carmen conscriberem, quid mihi, quid discipulis præstandum in hoc studiorum curriculo esset, intellecturos omnes ex ipsius naturæ magisterio; non enim facilius aut citius stirpes, quam litteræ proveniunt ac maturescunt.*

IX. Hæc præfatus Poema exorditur suum. Ne vero omnia a me amicitiæ, atque officio donari quisquam putet, libet particulam ejus carminis ex MS. deprompram huic meo commentariolo tanquam gemmam aliquam illigare, unde auctori, quem a Scri-

 pto-

ptore non habet, ſplendor accedat, fidemque faciat legentibus vera eſſe, quæ ſcribo, & ab omni aſſentandi turpitudine quam maxime abhorrentia.

Quæ ſegetes virtus pariat, proceraque truncis
Robora; qui ſemen genitabilis irriget humor;
Unde novo coeant inter ſe caudice fibræ;
Ut vernum augeſcat foliis nemus; altaque ramos
Explicet in flores, & ſe ſua ſeminet arbos,
Expediam, &, quæ ſit plantis natura, docebo.
Namque ſub aerio Parnaſſi vertice Muſas
Dum ſequor; increpuit ferula Sylvanus, & altos
Ut canerem montes, Dryadumque virentia regna
Admonuit. Juvat umbroſas exquirere ſylvas
Cum ſatyris, & nigrantem luſtrare Cithærum
Taygetumque, & quæ lætis aviaria lucis
Concentu volucrum reſonant, animoſque canenti
Sufficiunt. Dryades vatem comitatur euntem
Alternatque choros, ſertiſque recentibus ornant.
Seu gravidum effoſſis hominum experientia ſulcis
Obruerit ſemen, ſeu ſors dejecerit arvo,
Complexum gremio tellus fovet. Et reliqua.

X. Ex his particulis, quæ Contuccii fuerit in ſcribendo tum proſa, tum verſu elegantia conjicere lector poterit; quod autem nominatim ad Poema attinet, ex his veluti ſeminibus, minimis illis quidem, ſed magnarum rerum gravidis, quantam quamque proceram in arborem ſe Contuccii Poema ipſum explicarit, ju-

judicare. Et vero Virgiliano plane ſtylo opus conſcripſit ſuum, plures in libros diſtributum, in quibus multa variis de Plantis, multa de earum ortu, multa de incremento, multa de reſpiratione, de circuitione humoris, de propagatione ramorum, de ipſarum arborum proceritate, de moribus, de morbis, aliiſque earundem proprietatibus fuſe, erudite, eleganterque perſequitur. Optandum utique fuerat, ut tam præclaro operi ſupremam manum admoviſſet. Verum Contuccio non facultas, ſed voluntas defuit. Plures mihi auctores fuerunt, ut Poema illud recognoſcerem, & perpolirem; nec non, ſi quid in eo labis occurreret, abſtergerem, edendumque curarem; ſed ego committere nolui, ut alienæ eximiæ tabulæ temerariam manum admoverem, & tanti viri opus, quem ſemper tanquam magiſtrum reveritus ſum, auderem attentare. Præterquamquod ita multa multis partibus manca ſunt & mutila, ut reſtaurari, quod veteribus in ſtatuis fieri nunc ab Artificibus ſolet, nonniſi difficillime poſſit.

XI. Scripſit etiam nonnulla Italico idiomate, & inter cætera, quæ ſingula indicare hoc loco non vacat, edidit vitam S. Pulcheriæ Virginis Imperatricis. Occaſionem operi ſuſcipiendo & perficiundo ejus ſanctiſſimæ Virginis attulit cultus, quem Benedictus XIV. amplificavit. Hanc autem amplificationem Fabius Danzetta S.J. vir doctiſſimus ab eodem Pontifice, apud

quem summa ob præstantem atque eximiam eruditionem valebat gratia, obtinuit. Rogatus Contuccius ab Emmanuele Azevedo amicissimo suo vitam, quam dixi, conscripsit. Summa ejus hoc in vitæ genere, quæ nonnisi ex vetustissimis erui monumentis poterat, eruditio, ac plane singularis agnoscitur. Sed ne quid dissimulem, ac ne laudare velle omnia videar, stylus, qui lucubrationes omnes, & eas præcipue, quæ a Rhetore proficiscuntur, ornat, ac maxime limat, meo quidem judicio paullo negligentior est atque incomptior; quod satis docet laborem, quem plerique natura defugimus, in suis perficiendis lucubrationibus Contuccium ferre noluisse; nec vero debilem hanc animi sui partem his in rebus unquam confirmasse.

XII. Delata item ei provincia fuit Cardinalium vitas conscribendi, & opus a Ciacconio primum incœptum, tum ab Oldoino feliciter productum, ad sua usque tempora deducendi. Oblatam operosam juxta ac perhonorificam provinciam suscepit Contuccius; sed cum exstimulator deesset, qui homini latera assidue fodicaret, qui eum cessare non sineret, qui veluti pensum exigeret, multa quidem collegit, multa conscripsit, multa in adversariis suis reliquit, sed opus non perfecit. Pagellæ porro ita raptim conscribillatæ sunt, ita sententiæ crebris lituris inductæ, vix ut intelligi possint, ita denique omnia confusa, ut quivis de illis distinguendis ordinandisque desperet. Nam quid

quid iis hominibus facias, qui ita comparati sunt, ut laboris molestiam, quæ in perficiendis operibus ferri necessario debet, sive consilio, sive inertia, sive quacumque alia de causa, quam hic investigare non est necesse, refugiant. Certe tempus Contuccio ad multa conficienda, & vero etiam perficienda non defuit, si eum voluntas, quæ rerum omnium effectrix est, non defecisset. Sed quæ scripsit Contuccius, cum fere non voluntate adductus, sed necessitate adactus scripserit, mirandum non est, si negligentius ea, & præcipitantius effuderit, ut propterea in iis perfectio atque absolutio desideretur.

XIII. Verum in Contuccio illud fuit plane singulare, ut cui vel quidquam efficiendi, vel quod semel aggressus erat, perficiendi patientia & voluntas deerat, utramque & patientiam, & voluntatem, non domesticis ille quidem, sed externis quam promptissime hominibus libentissimeque deferret. Itaque non pauca scripsit, & castigate scripsit, & summa eruditione scripsit, quæ alieno nomine vulgata iis, quorum gratia scripta fuerant, summam eruditionis famam commendationemque pepererunt. Ego certe nihil unquam expugnare ab eo potui; non quod ego quidquam ex ejus labore atque ingenio proficere voluerim, qui mea hac quantulacumque facultate contentus sum; sed quod ab eo vehementius contendebam, ejus potissimum causâ contendebam, cujus mi-
hi

hi nominis maxime cordi erat amplificatio. Sæpe hominem aggreſſus ſum, ſæpe adhortationibus urgere non deſtiti, ut, quandoquidem ſumma Antiquitatis eruditione præſtaret, & tam multa in Muſæum Kirkerianum intuliſſet, opus aliquod hoc in eruditionis genere conficeret, & ſuo nomine ederet, aut ſaltem quæ dubiæ cognitionis eſſent, propria diſtingueret nota, & quid de unoquoque monumento ipſe ſentiret, aut ſuſpicaretur, monumentis ipſis quam breviſſime adſcriberet; quod illi facile admodum fuiſſet propter ſingularem rerum antiquarum cognitionem. Ad hoc ego eum ſæpius impellere conatus ſum, ſed irrito ſemper propter eam, quam dixi cauſam, conatu.

XIV. Et vero ſingularis prorſus in Contuccio noſtro notitia Antiquitatis fuit. Græcam, & Latinam linguam callebat apprime, quæ duarum linguarum ſubſidia ei, qui Antiquitatis ſtudia colere velit, in primis ſunt neceſſaria. Valebat præterea memoria admodum tenaci; quæ ſemel legiſſet, ita animo infixa hærebant, ut non facile dilaberentur; quæ ſemel viderat, eorum claram perinde ſpeciem habebat propoſitam, ac ſi præſentia cerneret. Fere nunquam domo egrediebatur, nullum tamen, ne vel abditiſſimum quidem Romæ angulum, in quo aliquod antiquum monumentum latitaret, ignorabat. Quæ adoleſcens Roma curioſius obeunda inſpexerat, ea ſenex meminerat. Itaque locum certo deſignabat, monumenti formam graphice deſcribe-

bebat, quid additum, quid ademptum, quid immutatum esset indicabat. Ad hæc accedebat & singularis sollertia, & admiranda quædam sagacitas, qua res hujusmodi tanquam venaticus canis vestigabat, & quam longissime positas ac retrusas odorabatur. Quæsita vero plurium annorum spatio experientia fiebat, ut his de rebus & acutissime conjiceret, & certissime judicaret.

XV. Talis cum esset Contuccius mirum nequaquam videri debet, si hoc in studiorum genere singularem fuerit excellentiam, & summam excellentiæ opinionem consecutus. His de rebus, si quando controversia aliqua inter eruditos excitaretur, ad eum tanquam ad oraculum adibatur, ejus sententia exquirebatur, opinioni subscribebatur, controversia omnis tollebatur. Quotquot suo tempore Antiquarii Romæ, ac tota Italia floruerunt, Contuccium magnopere suspexerunt, & vero etiam per litteras consuluerunt. Exstant de eo doctissimorum virorum honorificentissima testimonia, quæ ei non assentatio tribuit, sed perspecta hominis harum rerum intelligentia detulit. Inter cæteros, qui cum plurimi fecerunt, recensendi sunt Boldettus, Ficoronius, Muratorius, Gorius, Maffejus, Capponius, Oliverius, Passerius, Victorius; hi autem in scientia Antiquitatis principes, & præclarissimis editis operibus celeberrimi.

XVI. Et Capponio quidem viro nobilissimo, & hujus eruditionis potissimum generi apprime dedito

ita

ita familiaris fuit, & carus adeo, ut ejus unius gratia Musæi sui partem Collegio Romano legarit, cujus accessione Kirkerianum Musæum incredibiliter auctum fuit, insigniterque ditatum. Ficoronius etiam pro ea, quæ illi cum Contuccio erat amicitia, ad Kirkerianum Musæum augendum plurimum contulit. Quæ ego libenter commemoro, ut virorum de Collegio Romano egregie meritorum hæc commentario in hoc meo grati animi testificatio exstet. Ex his, quos dixi, veluti fontibus in unum confluentibus singularis antiquorum monumentorum collectio facta fuit, ac plane digna, quæ ab harum rerum studiosis omnino visatur. Contuccius vero novis subinde monumentis, & conquirendis, & coemendis jugiter intentus mirum sane in modum illud locupletavit.

XVII. Nullum vero rarius monumentum in Musæum Kirkerianum illatum a Contuccio fuit, quam Picturæ quædam veteres in parietinis impressæ, quæ eo pretiosiores haberi debent, quod hujusmodi monumenta prope omnia consumpta sunt, & ferre temporis diuturnitatem nequaquam potuerunt. Æra, statuæ, sigilla, aliaque hujusmodi nativam duritiem temporis edacitati objectarunt, quæ vel ferreos ejus dentes retunderet, vel saltem ita fatigaret, ut nonnisi plurium sæculorum spatio aliquid ex iis absumere tempus potuerit atque conficere. Nihil tale in picturis, quas utpote teneras admodum ac delicatas, perfacile aut imber cor-

corrumpit, aut situs perdit, aut vel ipse mollissimus aer paullatim exedit. Casus quidem intercedat necesse est, qui eas aut alte aggesta humo conditas & consepultas conservet, aut superinductis salium crustis obductas ab interitu vindicet; sed novum inde periculum; nam si locus minime siccus, & paullo humidior sit, facile primum livescunt, tum magis ac magis deformantur, donec ad extremum evanescentibus sensim coloribus prorsus delentur. Jam siquæ veteres ex tot injuriis picturæ, quibus tanquam imbellem sexum obnoxias fuisse constat, incolumes evaserunt, næ illæ maximo in pretio habendæ sunt, & supra reliquam veterum monumentorum turbam efferendæ.

XVIII. Porro super hujusmodi picturis, quas diximus in Musæum Kirkerianum a Contuccio illatas, non minima inter Antiquarios & Pictores excitata controversia fuit, veteresne sint, an recentes. De his dicam, quod sentio; per me licet sentiant alii, quod libet. Tales enim hujusmodi de rebus controversiæ sunt, quæ in utramque partem ab eruditis sine cujusquam offensione agitari possunt. Neque vero has picturas ita perdite amo, ut quavis sponsione provocatus eas omnino veteres esse, nec recenti opere ad veterum similitudinem effictas contendere paratus sim. Certe has nemo picturas vidit, quin eas vehementer suspexerit; ego sane ut illas vidi, ita me vel primo intuitu perculerunt, ut penitus animo earum forma non inse-

de-

derit solum, sed totum occuparit. Ac ne illud quidem mihi arrogo, ut certum his de rebus judicium feram, sed qui nobiliores picturas, & hic Romae, & Florentiae cum essem, curiosius inspexerim, recta a pravis possim fortasse distinguere. Praeterquamquod hae res hujusmodi sunt, ut omnes aliquid in nobismet ipsis instrumenti habeamus, quo quid pulcrum sit, quid non, internoscere possimus. Neminem enim harum rerum natura esse voluit funditus expertem, sed tacitum quendam sensum indidit, quem secuti non ita facile in judicando fallimur.

XIX. Et vero has in picturas animum si quis intendat, oculosque defigat, certissima antiquitatis indicia deprehendet. Quae intuentibus primo objectu occurrunt, scuta, thoraces, clypei, cristae, gladii, hastae, lanceae, arma, vexilla, insignia, sagi, Imperatorum indumenta, chlamydes, paludamenta, & reliqua ad militiam spectantia; mulierum ornatus, pallae, vela, pepli, cyclades, muliebris cultus omnis; insuper conclavium prospectus, fenestrae, januae, murorum coronides, architectura tota; mystici quidam caracteres picturis ipsis adscripti, minuti, evanescentes (Punicine, an alterius ignotae linguae divinare quis possit?) haec conjunctim omnia, aliaque hujusmodi vetustatem videntur unam prodere, exhibere, demonstrare. Nihil simile in picturis recentibus, imitatio nulla, nullum ne vel levissimum quidem imitationis vestigium

gium . Omnia nova , nunquam visa , inusitata , singularia , uno verbo ad speciem antiqua . Verum , ne quid dissimulem , animadversum est ab intelligentibus aliquid esse negligentius in formis & lineamentis expressum , sed nihilo tamen minus hæc ipsa negligentia non displicet , & antiquitatem quodammodo sapit . In picturis enim alios horrida , inculta , abdita , & opaca , contra alios nitida , læta , collustrata delectant . Quanquam in harum nonnullis tantum artificium cernitur , ut cum nostris probatissimis picturis certare de excellentia possint . Hoc autem quo certius ex contentione appareat , eodem , quo hæ picturæ asservantur loco , nobilissima Guidi Reni pictura proposita exstat . Quod in Guidi tabulis molle , tenerum , delicatum ex artificioso colorum temperamento efflorescens intelligentes suscipiunt , hoc etiam in earum aliquibus iidem vehementer admirantur . Immo vero rogati , si daretur optio, Guidine opus illud egregium , an earum picturarum unam sibi auferre mallent , nihil ambigunt de optione , earumque aliquas vel egregiæ Guidi tabulæ anteferre non dubitant .

XX. His illud accedit , de quo judicium non omnino imperite meum , possum interponere , propter artium Picturæ & Poesis cognationem maximam . Qui diu in arte Rhetorica tradenda versatus sum , probatiores utique Poetas legere debui ; & vero legi , Virgilium præsertim , & Homerum , cujus etiam insignio-

ra

ra loca diligenter animadvertendo notavi, & cum Virgilianis contuli. Itaque quod attinet ad totius, quæ exprimitur, coagmentationem operis, hæc talis in quibusdam est, nihil ut neque expressius cerni, neque magnificentius excogitari posse videatur. Didonis mortem a Virgilio descriptam cum sæpe legerim, non minus ea sæpe animum concussit meum. Hanc autem ipsam his, de quibus loquor, picturis expressam cum primum aspexi, si dicam animum non minus perculisse meum, & fortasse etiam magis, dicam id, quod re ipsa sum ego ipse expertus. Ab latissima area gradatim exsurgit pyra, & incredibili magnificentia in sublime educitur. Supra pyram constituta Regina gladio incumbens semimortua exhibetur, ut eam non tam aspicias, quam miserabilis infortunii ad vivum proposita imagine intimis sensibus commovearis. Cernis ipsam *collapsam in vulnus, ensemque cruore spumantem, sparsasque manus*; cernis & teterrimam speciem refugit animus intueri; usque adeo omnia ad luctum sunt ac mœrorem mirabiliter expressa. Circa pyram multitudo ingens subitum Reginæ ipsius interitum lugentium ac lamentantium; alius alio modo dolorem indicat suum, omnes summum. Porro hæc ipsa circumfusa multitudo quibusdam veluti togis (neque enim quo satis idoneo vocabulo indumenta, quibus tegitur, appellem, habeo) obvolvitur, quæ longo tractu a tergo profluentes terram late consternunt

&

& nescio quid funestum ac lugubre intuentium animis inspirant, nihil ut funestius objici possit atque lugubrius.

XXI. Quod in expressa Didonis morte observare est, hoc in Alexandri magni funere animadverti peræque potest. Apparatissima funebris exhibetur pompa, aurei currus, quo defuncti Regis cineres aureo inclusi loculo deferuntur, forma omnino nova, qua nulla magnificentior ad ornatum ac regium plane luxum excogitari videtur posse; quæ præcedunt, quæ comitantur, quæ consequuntur currum, omnia ad funebrem sumptuosissimam speciem composita. Funalia quædam, & lucernæ ardentes tenebras noctis temperant, & tristem quendam splendorem efficiunt, qui & luctum incredibiliter auget, & ad totam pompam subobscuro in lumine collocandam mirifice valet. Quid plura? Generatim atque universe his in picturis multa observantur, quæ explicare me posse verbis despero sic, ut ea perinde lectoribus proponam, ac re ipsa sunt. Certe in omnibus acerrima quædam, & cogitandi, & exprimendi vis eminet. Sed non pauci, qui sive intelligentes sint, sive intelligentes existimari velint, multo aliter sentiunt de his picturis, & acerrime contradicunt, quibus, ut jam professus sum, facile concedo, ut de iis, quod volunt, opinentur; me sane nunquam neque suæ ipsorum opinionis oppugnatorem, neque hujus meæ propugnatorem habebunt.

XXII. Præter has, quas indicavimus, antiquitatis no-

notas, alias etiam his in picturis, si eas per otium & curiosius contempleris, minime requiras, quæ dubium omne ex ambigentium animis possint eximere. Admota lente exiles quædam rimæ apparent, quas temporis diuturnitas distractis dissociatisque coloribus efficere debuit. Præterea concretæ salium crustulæ, quarum vestigia adhuc supersunt, in angulis cernuntur, quæ picturis longa annorum serie superinductæ picturas ipsas veluti tunica quadam obvolutas nostram ad usque ætatem integras inviolatasque conservare potuerunt. Hæc, aliaque hujusmodi diligentius inspecta has picturas pro antiquis esse habendas omnino videntur evincere. Credibile enim non est, tanto artificio exstitisse Pictorem, qui operi quam recentissimo tantam vetustatis speciem allinere potuerit. Quod si exstitit (audio enim nescio quem nominari) is certe hoc in fallendi genere parem non habuit, ut in hoc ipso summam dici debeat excellentiam consecutus. Quid igitur fuit, cur tantus Pictor Contuccio potius, quam alicui principi viro has picturas venales obtulerit? Stultus profecto ac plane fatuus is esse debuit, cujus æstimatione picturæ tam nobiles adeo conciderunt, ut eas vendere homini minime pecunioso non dubitarit. Contuccius certe summa pecuniæ laborabat inopia, & harum in rerum sumptu parcus admodum erat, vix ut nummulos aliquot utcumque extricare posset.

Jam

XXIII. Jam quo nam potiſſimum modo has picturas comprarit, quod ego ſentio, ſive potius ſuſpicor, ut dicam, exiſtimo illas a foſſore aliquo in antiquis parietinis caſu fuiſſe repertas, erutas ſubinde, & ad Contuccium a foſſore ipſo ſtatim delatas, cui, quod viſum fuerit, citra injuriam, a Contuccio perſolutum continuo ſit. Certe magna illi cum tota foſſorum gente amicitia & familiaritas fuit; quidquid hujuſmodi repertum eſſet, ad eum ultro deferebant, ab eo exquirebant pretium, auferebant etiam, ſi a Contuccio fuiſſet oblatum, & malebant pretio quantumvis exiguo, ſed ſtatim perſoluto, cum eo decidere, quam cum aliis tranſigere ac paciſci, a quibus pactam pecuniam nonniſi ſero admodum, ac ſumma cum difficultate extorquere poſſent. His de cauſis factum arbitror ut hæ picturæ in Contuccii manus pervenerint, quibus Kirkerianum Muſæum rara ac pretioſa ſupellectili ditatum eſt. Contuccius vero optimo uſus conſilio, qua ratione has picturas lucratus fuerit, ſemper reticuit, neque moriens cuiquam patefecit, illudque, dum vixit, habuit ſolatii, ut homines de re levi, ſi ad graviores referatur, ſerio diſputantes inter ſe, ridens ipſe ſecum, atque altercantes audiret.

XXIV. Sed ut ad inſtitutam narrationis ſeriem revertamur, exactis a Contuccio triginta in Rhetorica tradenda annis, graviſſimo tandem onere levatus eſt, eique ſcholarum Præfectura inferiorum delata.

 Quan-

Quanquam non tam onere levatus dici potuit, quam novo onere prægravatus. Multa enim secum incommoda atque molestias munus illud affert. Invisendæ scholæ, invigilandum magistris, census discipulorum habendus, qui novi adveniunt examinandi, veteres ad superiores gradus promovendi, nunquam cessandum. Quod vero gravius est, contendendum sæpe cum parentibus, qui vel ineptos promoveri omnino volunt, & diutius in scholis detineri liberos queruntur suos; nec vero non audent de docendi ratione præscribere, de Magistrorum præstantia judicare, homines harum plerumque rerum ignorantissimi. Quæ narro, expertus narro; in Contuccii enim demortui locum suffecto mihi ipsi multæ hujusmodi hominum stultitiæ devorandæ fuerunt. Et vero haud ita pridem, quam hæc mandarem litteris, cum Barbitonsore non nullius momenti contentionem habui, cujus filium minime idoneum cum ad Rhetoricam negassem promovendum, ille eo me oculo aspiciens, ut sibi peracutus videretur; *Posse se*, inquit, *qui ad Collegium adolescens ventitasset, aliquid his de rebus pronunciare; filium suum sibi idoneum, qui ad Rhetoricam gradum faceret, videri*. Quid agerem? quid reponerem? Auctoritatem meam homini gregario committere nolui; ei morem gessi, atque hunc honorem Barbitonsoris novaculæ habendum existimavi. Nimis fortasse lente, sed, ut puto, æquanimiter, & vi-

& vitandarum offenfionum caufa, prudenter. Nam quid dicam de difcipulis ipfis, qui nullam difciplinam ferre poffunt, nec pati volunt? Ut flagellum increpuit, dilabuntur; ex his abeunt ad alias fcholas, ex aliis ad has adeunt, meant & remeant, nufquam conftantes nifi in ipfa inconftantia.

XXV. Hac moleftiarum pleniffima, quam dico; Præfectura donatus Contuccius in ea, quod reliquum ei vitæ tempus fuit, confumpfit, atque ita fe geffit, ut offenfiones vitarit omnes, & omnium animos fibi mirum in modum benevolentia & comitate fua devinxerit. Difcipuli eum dilexerunt plurimum, quorum frequenti corona ftipabatur. Ille vero hilari vultu omnes excipiebat, omnibus aliquid fuæ humanitatis impertiebatur. Si quis erat ingenio tardior atque obtufior, ei peculiarem operam impendere, eumque privatim edocere non recufabat. Nonnullos privata hac inftitutione ita juvit atque erudivit, ut nunc apud principes viros honefto loco fint, & confcribendis epiftolis adhibiti eo munere non fine laude fungantur.

XXVI. Sed de Contuccii doctrina, ftudiis, & muneribus dictum fit fatis. Quod ad ejus mores attinet, vir fuit fane pius ac probus. De fe demiffe admodum fentiebat, & hanc ob caufam fua fcripta neglexiffe putandus eft, quorum amore non adeo captus fuit, ut ea pectendi comendique laborem fu-

ſcipere in animum unquam induxerit. Idem vero rogatus aliquando a familiari, quare ſcripta ſua non perpoliret atque ederet, reſpondit; Vereri ſe ne pagellis ipſe ſuis *Purgatorii* flammas aleret, quibus & diutius torqueretur, & moleſtius uſtularetur. Preterquamquod quietis ac pacis amans, & omnium fugitans litium ab omni contentione quam maxime abhorruit. Si quid, ajebat, in re præſertim antiquaria edideris, quæ conjectura fere continetur, ecce tibi ſtatim tricæ, quæſtiones, controverſiæ; quam ſemel amplexus fueris ſententiam tueri ſi velis, nullus quæſtionum, nullus controverſiarum finis. Hac de cauſa nihil in ea, in qua plurimum excellebat, ſcientia ſuo nomine edere neque voluit, neque cujuſquam auctoritate adduci potuit, ut vellet.

XXVII. In cultu domeſtico iis ſemper, quæ ad privatum uſum omnibus præbebantur, contentus fuit, à ſingularibus quam maxime alienus. Hoc minimi certe faciendum non eſt, quanquam ei, quod amplexus fuerat vitæ generi conforme, & commune omnibus, qui illud ipſum vitæ genus profitebantur. Sed nihilo tamen minus niſi virtus naturæ ſuſtentaret infirmitatem, neceſſario quæ ſubeunda erant incommoda ferri diutius non potuiſſent. Ea Contuccius & libenter ſubivit, & æquanimiter tulit. Ejus vero patientia talis fuit, qualis omnino eſſe in eo debuit, qui tot annos in ærumnoſiſſimo munere ſine ceſſatione impendit.

Præ-

Præter docendi molestiam multo gravissimam, sæpe, ut in magno discipulorum numero evenire solet, cum arrogantibus, pervicacibus, ingratis contendendum est, quibus cum bene feceris, pejores fiunt. His accedit tanquam cumulus, quod tot labores nullo privato emolumento suscipere debuit; nisi forte emolumenti loco ducere velimus immensam curarum molem, qua prægravantur magistri, & interdum obruuntur.

XXVIII. Cum patientia eodem in munere obeundo copulanda caritas omnino fuerat, qua nisi doctor probe instructus sit, munus illud cum discipulorum utilitate obire nullo modo potest. Porro quanto Contuccius studio ab ipsa utique caritate profecto operam discipulis impenderit suam, ex eo colligere licet, quod tot annos, ut sæpe jam diximus, eodem in munere sine intermissione perstiterit. Illud præterea certissimo argumento est, quod paullo ante de singulari adolescentium institutione attulimus, qua fiebat, ut a schola vacationem nactus, & publica docendi provincia jam defunctus, privatam suscipere non recusaret. Quod quidem caritatis ego genus satis æstimare non valeo. Relabebatur enim eo, unde elapsus erat, & rursus iisdem se laqueis, quibus fuerat expeditus, induebat.

XXIX. Per quam raro domo egrediebatur; neque vero ulla unquam tanta in urbe celebritas fuit, quæ eum ad prodeundum vel alliceret, vel compelleret. Præter Tusculanum secessum paschalibus & autumna-

 li-

libus feriis Magistris concedi solitum, quo delectabatur plurimum, nullum fere aliud solatium admisit. Prospera semper usus est valetudine, ut eum nunquam lecto decumbentem sive febri, sive aliquo alio morbo implicitum, quisquam viderit; sed postremo vitæ suæ anno enato in crure erysipelate graviter ægrotare cœpit. Crus deformem in modum intumuit, ut incedere vix posset. Hoc morbi genus patientissime toleravit, & ne verbum quidem unum, quo dolorem indicaret, unquam edidit. Nec vero strato se commisit, sed gravi non sine incommodo ambulabat sic, ut, cum affecto cruri insistere vix posset, non incedentis, sed ægre corpus trahentis molestam intuentibus exhiberet speciem. Morbo nequidquam adhibita medicamenta, medicamentis omnibus morbus pertinacior fuit, & omnem medentum artem vicit. Unum levamen erat defluxus humoris in subjectum crus, ejusque extra cutem derivatio; qua intermissa certum imminebat mortis periculum.

XXX. Hoc cum videret Contuccius, contra atque suadebat Medicus, lecto se sternere aliquandiu recusavit; quod ei ignoscendum arbitror. In hoc enim naturæ paruit, quæ instans lethum propellere, quantum poterat, conabatur. Neque enim dubium, quin malignus humor, qui stante corpore in affectum crus defluebat, jacente relaberetur in pectus, ubi si collectus stagnasset, certissimus consequebatur in-

interitus. Verum Medico in proposito suo obstinatius persistente, ejus imperio cessit tandem Contuccius, & lecto se commisit; qua in re non tam Medico, quam S. Ignatii præscripto paruit, cujus ea lex est, ut ægrotantes Medico in his, quæ ad curandum corpus & tuendam valetudinem pertinent, obtemperent. Singulari igitur Obedientiæ exemplo diutius repugnare destitit, & propemodum certus mori Medico paruit. Quod probabiliter eventurum putarat, id continuo evenit. Ut decubuit, humoris in crus defluxus cessavit, lethalis humor pectus obsedit, & hominem ad extrema deduxit. Mortem adventantem intrepido & constanti animo excepit Contuccius, nihil ejus adventu perterrefactus, nihil præsentia conturbatus; sed eo in discrimine constitutus illud unum enixe flagitavit, ut omnibus Ecclesiæ *Sacramentis*, quæ morientibus impertiri solent, procuraretur; quibus summa religione susceptis humor ille, quem diximus, hominem oppressit atque exstinxit.

XXXI. Ejus obitu magnum Collegio Romano ornamentum ademptum fuit, quod ipse tot annos doctrina ac virtutibus suis insigniter nobilitaverat. Qui in Musæi Præfectura illi successit, ejus imaginem exprimendam curavit, & in Musæo ipso, de quo optime meritus fuerat, omnibus conspiciendam proposuit. Imagini addita inscriptio perelegans, quæ docet Contuccii in re antiquaria præstantiam, & singu-


gularem ejus in locupletando Musæo ornandoque diligentiam. Fuit statura justa, hilari ore, & ad suavitatem simul gravitatemque composito, ingenio peracri, eruditione singulari, talis denique, cujus memoria exstingui omnino non debuit. Id ego efficere meo hoc commentario adnisus sum; quod si assecutus fuero, magnum laboris me percepisse mei fructum arbitrabor. Multo ante, quam hæc mandarem litteris, perhonorifica a me, quod jam inde ab initio significavi, in sexto meorum Electricorum libro de Contuccio facta mentio aliquot versibus fuit; quos inde desumptos huc placet transferre.

Ille autem lente gradiens tardante senecta
Ecquis erit? meritos cui cingit laurea canos,
Nescio quid manibus versans, & totus in illo.
Fallor? an admoto detrita numismata vitro
Callidus explorat? non fallor; scilicet ille est
Egregius Vates, summusque Orator, avitum
Florere eloquium stupuit, quo Rhetore, Roma.
Nare sagax idem, longoque instructus ab usu
Quidquid edax reliqui sæclis labentibus ætas
Fecit, odorari; nec non Kirkerius olim
Quas Latio collegit opes e divite, felix
Augere in tantum, ut vincantur scrinia, nec jam
Amplius accessus capiant stipata recentes.

DE

DE
CÆCILIA SOMENTIA
PARTHENII MATRE.

COMMENTARIUS V.



Erſolutis a me, ſuperioribus commentariis, & Collegæ, & Amico, & Deceſſori meo grati & memoris animi officiis, nemo conſilium, opinor, meum reprehendet, ſi debitum plurimis nominibus pietatis officium Matri exſolvam, ejuſque memoriam, ſi quo modo ſcribendo aſſequi poſſim, perennandam ſuſcipiam. Id autem, ut ſuſciperem pietas in primis, tum eximius, quo eam, dum viveret, proſecutus ſum, amor, & vero etiam ſingularis, quæ poſt ejus obitum de ſuis virtutibus infixa animo hæſit opinio, me non impulerunt modo, ſed propemodum coegerunt. Talem enim ſingulari Dei beneficio nactus ſum matrem, qualem me ſortitum eſſe nunquam non gloriabor, inſignibus præditam animi & corporis ornamentis, ac plane dignam, cujus memoria prorſus non intercideret. Itaque hac in re ceſſi pietati, ceſſi amori, ceſſi, quam de ea ſummam ſemper habui, virtutis opinioni, & hoc commentariolum

lum conſcripſi, quo illam, qualis re ipſa fuit, conatus ſum exprimere. Neque vero, ut ait Vellejus Paterculus (lib. 1.) *Ego verecundia domeſtici ſanguinis gloriæ quidquam, dum verum refero, ſubtraham*; ſed quæ mihi de ea nota ſunt, fideliter mandabo litteris, & hanc ſaltem illi referam gratiam, quod me non genuerit ſolum, ſed ingenue etiam ac liberaliter inſtituerit, unde mea hæc qualiſcumque in ſcribendo facultas profecta non tam mihi uſui foret, quam illi alicui aliquando honori eſſe poſſet.

II. Cæcilia Somentia nata eſt Cremonæ in Inſubria iiI. Cal. Feb. An. MDCLXXXIX. & ſacro Fonte abluta Anna Maria Cæcilia appellata eſt; ſed, quoad vixit, uno Cæciliæ nomine nuncupari conſuevit. Infantem e ſacro Fonte de more extulit Comes Horatius Mainoldus Patritius Cremonenſis. Parentes nacta eſt Michaelem Somentium inſigni probitate virum, & Catharinam Panſiam, ſingulari atque eximia virtute fœminam. Et Familia quidem Somentia inter antiquiores ac nobiliores Cremonenſes Familias recenſetur. Quanquam, quod perverſum eſt judicium hominum, qui non genus, ſed opes ſpectare ſolent, nunc acciſis opibus, non eo, quem olim ea in urbe obtinebat, loco habetur. Mentionem hujus Familiæ perhonorificam facit in ſua Patriæ Hiſtoria Antonius Campus, nobilis Eques Cremonenſis, idemque Pictor excellens, & Scriptor eximius, atque illuſtres ali-
quot

quot ex eadem Familia viros ac fœminas (a) non sine laude commemorat.

III. Hos, quos dixi pios & probós parentes nacta, ab iisdem Christianis moribus imbuta est, quos adeo raræ indolis puella combibit, ut eos ad ultimum us-

(a) Antonius Campus in sua Cremonensi Historia edita Mediolani in ædibus Joannis Baptistæ Bibellii anno 1645. non pauca de Familia Somentia persequitur, quæ placuit excerpere, & hic lectoribus exhibere. *Lib.* III. *pag.* 145. *an.* 1525. hæc habet: „ Pensando il Re Francesco „ di Francia di occupare Cremona.... „ Laonde il Duca Francesco Sforza „ Visconte, il quale si trovava in „ Cremona, vi mandò Alessandro „ Bentivoglio Bolognese, Alessandro „ Stampa Milanese, ed il Capitano „ Barone Somencio Cremonese con „ mille e quattrocento Fanti assol„ dati in Cremona per opporsi &c. *Lib.* III. *pag.* 169. *an.* 1549. „ Fù „ etiandio celebre in questi tempi „ il Barone Somenzo nobile e va„ loroso Capitano, il quale fù mol„ to caro al Duca Francesco Sforza „ di Milano, e dopo lui all' Impe„ ratore Carlo V. Hebbe questi mol„ ti gradi honorevolissimi nella mi„ lizia, perciocchè fù Capitano, e „ Colonnello, & Governatore d'Asti „ in Piemonte, & di Lecco nel Du„ cato di Milano.

Libro III. *pagina* 191. *anno* 1572. „ Non voglio lasciar ad„ dietro un altra sacra Vergine Cre„ monese, la quale nella predetta „ Città di Milano, per la santità „ della vita, & per le molte sue „ virtù, e particolarmente per l'ec„ cellenza della Musica d'ogni sor„ te è tenuta in grandissima stima; „ è questa Donna Corona Somenza, „ che fù figliuola d' Agostino So„ menzo Senatore, e del Consiglio „ secreto dell' ultimo Francesco Sfor„ za Duca di Milano; vive ella nel „ Monastero delle sacre Vergini det„ to il Monastero maggiore. *Lib.* III. *pag.* 197. *an.* 1575. „ Non „ è molto che morirono due Gio„ vani di grandissima speranza, ne' „ quali si vedeva una grandissima „ vivacità, & eccellenza nell' ope„ rare „ (loquitur Historicus de celebrioribus Cremonensibus Pictoribus) „ l'uno fù Cristoforo Ma„ gnano da Picighitone rarissimo „ nel ritrattare dal naturale, e l'al„ tro fù Francesco Somenzo. „ Lib. III. in fine Historiæ Consiliarii Urbis, omnes ex Patriciorum ordine electi, qui tunc vivebat, ab Historico recensentur; inter hos pagina 226. an. 1582. Joannes Petrus Somentius numeratur.

usque vitæ exitum constantissime retinuerit. Cum aliquantum adolevit, nobilissimis Virginibus, quæ a Purificatione B. V. M. nomen habent, & peculiari instituto ad piam ac liberalem sequioris sexus educationem sedulo incumbunt, in disciplinam tradita est. Ab his, præter Christianas virtutes, quibus sanctissimæ illæ Virgines eminent, ac toti urbi insigniter prælucent, ea, in quibus exerceri ingenuam puellam decet, edocta est. In primis didicit acu pingere, quo in artificio plurimum excelluit; magnoque postea ea illi res usui fuit, tum ad tempus honeste collocandum, tum ad filias suas, sorores meas, eodem liberali in opere exercendas.

IV. Viro matura propter eximias animi & corporis dotes a multis in matrimonium expetita fuit, sed Philippo Patri meo singulari Dei beneficio obtigit; quod quidem ipse beneficium, qua erat insigni probitate, ac mentis sollertia vir, & agnovit, & bonorum omnium auctori Deo acceptum retulit. Hoc mihi met ipse, cum secum iter Senogallia Pisaurum haberem, inter colloquendum significavit, dixitque talem sibi Dei munere obvenisse uxorem, qualem certe commeritus non fuerat; quo dicto singulares ejus laudes prolixo sermone persecutus est. Et sane illud mihi ulla sine assentationis nota affirmare de matre mea videor posse, nullam ei laudem defuisse, qua quidem muliebris sexus maxime nobilitatur, & quæ

quæ propria optimæ & Christianæ matrisfamilias habetur. Quas laudes ita mirifice copulavit, ut quæ optimam matremfamilias probant, eædem & Christianam ostendant ac piam; quod omnibus, qui hunc commentarium lege non gravabuntur, planum profecto fiet.

V. Verum ante, quam ejus virtutes exponam, quemadmodum in hoc ipso commentario conficiendo me gesserim, libet indicare. Ego quidem cujusquam diligentiam, qui me conquisitis studiosius notitiis scribentem juvaret, non magnopere expetivi; sed illa de matre mea satis habui mandare litteris, quæ mihi ipsi probe cognita erant, ac plane perspecta, & quæ ad ejus imaginem sine fuco ac fideliter exprimendam sufficere visa sunt. Itaque hæc, quæ memoriæ prodo, qualiacumque sint, non ab aliis didici, sed ego ipse vidi, atque animadvertendo notavi, illis exigui temporis intervallis, quibus mihi una secum esse licuit, & suavissima ejus consuetudine frui. Distractus enim a parentibus vitam fere omnem longe ab eorum conspectu exegi. Nam vix septennis Cremonam missus sum, ibique ab Andrea Patruo commemorabili pietate viro educatus fui. Ea in Urbe Grammaticæ primum, Humanioribus deinde litteris, tum Philosophiæ in Gymnasio S. J. operam dedi. Emenso Philosophiæ curriculo annos natus decem & octo Pisaurum remigravi, & in paterna domo paucos menses consedi. Inde digressus ineundæ Societa-

tis

tis causa Romam veni. Posito ibi tirocinio, eoque absoluto, recolendis humanioribus litteris aliquot menses impendi, quibus exactis informandis pietate ac bonis artibus de more adolescentibus præceptor sum destinatus. Munus hoc quinque extraxit annos; primum Florentiæ annos duos Grammaticam, deinde Humanitatem, quam vocant, annum unum, tum Firmi in Piceno annum item unum Rhetoricam docui. Firmi cum essem locorum propinquitate invitatus Pisaurum me contuli, ibique nonnullos dies cum parentibus transegi, quibus exactis Pisauro discessi, & Romam iterum Humanitatem annum quintum docturus veni; eodem autem revertendi, nec voluntas, nec vero facultas fuit. Hoc interjecto perexigui temporis spatio, quod mihi varia & abitus, & reditus intervalla suppeditarunt, ea diligenter observavi, quibus hoc commentariolum contexere placuit.

VI. Fuit igitur, ut supra dixi, & pia mulier, & optima materfamilias, quibus conjunctim officiis cumulatissime satisfecit. Atque ut a matrefamilias & filiorum institutione exordium capiam, in hac ad Christianam normam exigenda plane exstitit singularis. Nihil enim habuit prius, nihil ei magis cordi fuit, quam ut filios & filias suas bonis moribus imbueret, & ad omnes Christianas virtutes jam inde a primis annis erudiret. Tenerum quendam pietatis sensum teneris liberorum suorum animis sensim instillare studuit, quo veluti lacte, multo, quam maternum sit, salubriore li-

liberos bona mater aluit, atque eduxit suos. Dicam de me, & dulcem suavissimarum rerum memoriam jam inde usque ab ultima pueritia arcessitam revocabo. Recordor enim, & non sine quodam piæ affectionis sensu recordor, cum me puerulum Sanctissimam Dei Genitricem dulci matris vocabulo appellare edoceret, ejusque ostendens imaginem ad ei manum tanquam matri carissimæ exosculandam assuefaceret. Edocuit etiam quoties, horologio pulsante, hora indicabatur, toties conceptis, quibus utimur verbis, B. Virginem salutare. Memini quoque, cum adoleverim, cœpisse me hortatu suo, singulis diebus quinque Psalmos illos, interjectis totidem *Angelicis salutationibus*, recitare, ex quorum primis litteris Mariæ nomen coalescit; quam postea consuetudinem nunquam non retinui. Hæc levia fortasse videri poterunt, sed filio de matre loquenti condonanda. Præterquamquod levia certe non sunt, quippe quæ & insignem ejus erga divinam Matrem pietatem docent, & sanctam filiorum educationem declarant; meum autem ex ejus obitu susceptum mœrorem ac desiderium, vel sola harum usurpanda rerum commemoratione, incredibiliter levant.

VII. Quantum vero hujusmodi optimæ matris institutio filiis suis exstiterit salutaris, ex eo colligi potissimum debet, quod fere omnes peculiari jure Deo volentes volens ipsa obtulit & consecravit. Nam ex decem adhuc superstitibus mares duo, fœminæ omnino

quinque, abdicata rerum terrenarum cura, sanctioris vitæ genus diversis in Religiosis Ordinibus amplexi sunt. Quo loco non possum, quod mihi ipsi hac ipsa hujusmodi vitæ generis suscipiendi occasione accidit, reticere. Cum enim illi ego meum jam certus de ineunda Soc. Jesu consilium patefecissem, primum rei novitate perculsa hæsit aliquantum cogitabunda, tum in lacrymas effusa, utpote quæ meæ erga eam pietati atque amori plurimum tribueret, rogare enixe cœpit; *Viderem quid agerem, & cui eam, si forte orbari viro maturius, quam ipsa vellet, & tempus posceret, contigisset, commendarem; se reliquis fratribus meis natu minoribus non tantum fidere, quantum mihi, proinde suam mihimet proponere solitudinem, & obsecrare, ut, quid consilii caperem, etiam atque etiam considerarem*. Hæc illa; cui ego respondi; Solitudine me quidem sua vehementer commoveri; neque vero, nisi Deum consilii mei auctorem haberem, unquam de ea deserenda fuisse cogitaturum; sed cum vererer, ne, si Deo vocanti non obtemperassem, ejus orbitati non solatio, sed ægritudini potius futurus essem, idcirco hanc ipsam ob causam, quod eam diligerem plurimum, relinquere statuisse, ea Evangelii secutum verba; *Qui amat Patrem, & Matrem plusquam me, non est me dignus*. Hoc accepto, præter exspectationem, responso pia mater conticuit, nec plura addidit, statimque divinæ voluntati acquiescens ineun-

ineundæ Societatis Jesu facultatem una cum materna benedictione peramanter impertivit. Ego vero, ne quid dissimulem, fatebor hic ingenue imbecillitatem meam. Etenim si lacrymis & precibus diutius institisset, & me vehementius oppugnasset, constantiam in suscepto proposito fortasse meam labefactasset. Quanquam non solum æquo animo se a me destitui propter Deum pia mater tulit, sed etiam paullo post ob eandem ineundæ Societatis Jesu caussam se deseri passa est a fratre meo Joanne Maria, qui me ætate consequebatur, & in cujus observantia non minorem certe spem, & multo etiam exploratiorem collocare poterat. Is fuit salutaris piæ exitus institutionis, quem quidem exitum hujusmodi institutio non habuisset, nisi ex materna pietate ac religione tanquam e fonte in filios profluxisset.

VIII. Et vero pia admodum & religiosa mulier fuit. Non hic ego singulas ejus virtutes colligam, sed quæ præcipue in ea eminebant, pro commentarii modo perstringam. Et primum ejus erga Deum pietas insignis prorsus exstitit ac singularis. Multum temporis cælestium rerum commentationi tribuebat; sæpe conscientiam sacra *Confessione* expiabat suam; sæpe ad sanctum *Eucharistiæ Sacramentum* singulari pietatis affectu sumendum accedebat, quo sumpto non exiguo temporis spatio perstabat immota, ut satis appareret divinam sentire præsentiam; quo vero die *Eucharistica* dape reficiebatur, eo se aliquo delicatio-

 re

re cibo mensæ accumbens abstinere consueverat; qua re ostendebat se divino illo epulo, quod reliquorum ciborum fastidium gignit, satis esse satiatam.

IX. Secundum Deum eximia ejus in Sanctissimam Dei Genitricem pietas fuit. Omnes fere, quos suscepit liberos, Mariæ nomine insignivit. Die Sabbati B. Virgini præcipue dicato, solo interdum pane & frigida contenta erat; ad eumque ipsum diem religiosius observandum etiam liberos jam inde a primis annis instituit suos. His aliisque hujusmodi obsequiis Divinam Matrem sibi demerebatur, quam & colebat ipsa, & a liberis suis colendam curabat. De ea sæpe, ejusque eximiis virtutibus sermonem inferebat, filiosque ad earum imitationem & excitabat sermone, & præibat exemplo. Jam illa, quæ de me, deque mea peculiari institutione dixi, huc referenda sunt, quæ satis ejus erga Divinam Matrem amorem docent, satis pietatem demonstrant. Quo quidem nomine ego nunquam parem ei referre gratiam, nec vero habere potero, quod me ab ipsa infantia sic erudierit, ut tam salutarem pietatis sensum animo bona parens inspirarit meo. Confido enim fore, ut Dei Genitricis patrocinio adjutus eo tandem evadam, quo unice in hac fluxa ac mortali vita homini aspirare fas est.

X. Inter omnes Sanctos peculiari cultu S. Teresiam prosecuta fuit. Ejus vitam legebat sæpe, callebat optime; de ejus virtutibus multo sæpius loqueba-

batur. Hujus rei illud etiam argumento esse potest, quod quinque, quas ab ea dixi consecratas Deo filias, in ipso Religiosi Ordinis ingressu, cum aliud ab eo, quo appellabantur, sumendum pro more nomen esset, Teresiæ nomen adsciscere voluit. Neque vero hoc contenta fuit; sed nunquam quievit, quoad usque unam saltem ipsi S. Matri Teresiæ dedicasset. Institit enim precibus, & diu multumque conquesta apud Deum ex tot fœminis, quæ Religiosas ingressæ Familias jam essent, ne unam quidem, quod vehementer optabat, animum ad S. Teresiam adjecisse, voti tandem compos facta est. Etenim, quæ supererat una, natu minima, Catharina nomine, *Discalceatarum*, quas vocant, Monialium in religiosissimo Fanensi Cœnobio institutum amplexa, non tam genitrici morem gessit, quam Deo vocanti, qui piæ matris vota cassa esse non sivit, obtemperavit.

XI. Ex omnibus vero, quibus excelluit virtutibus, insigniter ejus castitas eminuit, ac verecundia. Quo quidem nomine est, cur eam non solum laudem, verum etiam prædicem. *Rara est concordia formæ*, ut ait Poeta, *atque pudicitiæ*. Hanc vero concordiam, etsi raram, in ea & ego, & quotquot illam norunt, magnopere suspexerunt. Fuit eximia facie, & singulari pulchritudine. Nam prodere litteris, & commemorare quid dubitem, quod in Scripturis sacris de nobilioribus fœminis enunciatum invenio; nec ve-

vero a sanctis viris, cum sese illis id ipsum enunciandi occasio obtulit, prætermissum? Hoc qualecumque sequioris sexus ornamentum S. Teresia de matre sua suis in Operibus non modo non reticuit, sed diserte etiam scriptum reliquit. Hæc secutus exempla non est profecto, quamobrem cujusquam, si quid hujusmodi de genitrice mea memoriæ prodam, reprehensionem pertimescam. Forma quidem & venustas res est per se contemnenda, & talis, qualem stylo illo suo Magnus ille Gregorius mirabiliter descripsit, qui loquens de *Sanctimoniali* quadam fœmina, ejusque venustatem commemorans his verbis usus est; (Dial. lib.1. cap.IV.) *Una earum*, inquit, *quæ juxta carnis putredinem speciosa videbatur*. Sed quamvis muliebre hoc ornamentum verbis Gregorius merito abjecerit suis, negari tamen non potest, quin, siquidem virtuti serviat, cum virtutes omnes, tum castitatem præsertim, maxime ornet atque commendet.

XII. Et vero hanc ipsam commendationem illa ipsa eximia species ei conciliavit; qua in specie illud etiam fuit singulare, quod non cito evanescens brevi defloruit, sed, contra atque usu in mulieribus venire solet, vigens diu perstitit, & prope ad devexam in ea mansit ætatem. Hoc naturæ ditata munere insigniter cum esset, nihil in ea non ingenuum, nihil non pudicum, nihil non verecundum; habitus, incessus, mores, verba honestatem indicabant. Vidi egomet illam, cum ne-

nescio quid in sermonem casu incidisset, quod vel leviter pudicitiam lædere posse videbatur, vidi, inquam, illam modesto pudore suffusam, & perinde verecundantem, ac si tenera puella esset atque virguncula. Usque adeo mirificus in ea pudor fuit, ac verecundia enituit singularis. Hac pudicitiæ laude cum ipsa præcelleret, ad hanc liberos etiam suos erudivit, & verecundos esse voluit ac pudicos. Atque hujus quidem rei, quod supra, cum de suscepto meo, cum eaque communicato ineundæ Soc.Jesu consilio loquerer, præstiti, non aliunde documentum petam, sed a me ipso depromam, &, quod mihi ipsi accidit, hic quoque non reticebo. Etenim quadam cum ei die improvisus advenissem, ea vero cum muliere infimi generis nescio qua, sed valde speciosa, seorsum in conclavi esset, inopinato adventu meo exterrita quodammodo hæsit, & certe vehementer perturbata; quod statim atque ego animadverti, converso repente vestigio, me e conspectu proripui. Verita enim est, quod ex subita illa perturbatione conjicere promptum ac facile fuit, ne species illa mihi offensioni esse posset atque periculo; qua re bona mater satis clare ostendit suis se quoque cavere filiis, & non propriam tantum, sed eorum etiam pudicitiam sibi maxime cordi esse.

XIII. Hanc porro ut integram inviolatamque servaret, omni, qua potuit, custodia munivit ac sepsit. Itaque externorum hominum vitavit familiaritatem,

nec cuiquam facile se adeundi potestatem fecit. Domi clausa, præterquam diebus festis, quibus ad Sacra prodibat, aut siqua alia honesta occasio prodeundi offerretur, se continebat. Vix primos matrimonii sui annos prætergressa iis fere incessit vestibus, quæ cultum quidem atque munditiem ostenderent, non exquisitam elegantiam ostentarent. Crines, quod ego sciam, nunquam adussit ac finxit, nec pulverem illum, cujus usus tantopere nunc invaluit, ad eos conspergendos adhibuit, de animi magis, quam de crinium candore sollicita. Atque utinam quarum mulierum crines albicant, earum æque omnium animi candicarent. Capillos non totondit, sed collectos in nodum & complicatos, ut castam decet matronam, velo contexit. Externas vestiendi formas, morum plerumque corruptrices, non adamavit, nec iis serviendum censuit. Saltare, quod græcæ levitatis quondam fuit, nunquam didicit. Neque vero filias suas saltatrices esse voluit, optimo in hoc usa consilio. Eam enim contempsit artem, ejusque ignorantiam non erubuit, quæ cum gravitati semper inimica, tum vero infesta non raro pudicitiæ est atque honestati.

XIV. Talis, qualem descripsimus, cum esset, casta nimirum & pudica, ob hanc causam fœcunditatem pudicis & castis conjugibus promissam in Scripturis sanctis ei tributam a Deo esse arbitror, & large impertitam. Viginti, & eo fortasse amplius liberos

ros enixa est. Dico fortasse, quod certum definire numerum nequaquam possum; non quia diligentiam requirendi omiserim, sed quia molestam inquirendi, qui suscipere vellet curam, reperire non potui. Tot vero partubus edendis nunquam vita periclitata est, neque debilitata viribus; sed tanta felicitate liberos in lucem edidit suos, ut major ne optari quidem potuerit. Non omnes utique vivaces fuerunt, sed quibus in infantiâ vita mortalis erepta, iis, valde expetenda commutatione, sempiterna donata. Itaque quos suscepit liberos partim immatura morte sublatos, & salutari lavacro ablutos cælo præmisit, partim, atque adeo fere omnes ex superstitibus, Deo ipsi, cui referebat acceptos, diversis in Religiosis Ordinibus, ut jam diximus, obtulit & consecravit.

XV. Hanc supra communem mulierum sortem nacta fœcunditatem magis ipsa in dies ac magis egregiæ matrisfamilias partes omnes implere studuit. Laboris in primis amans eum non modo, quod plerique natura facimus, non refugit, sed ultro etiam ac libenter appetivit. Nemo eam otiantem unquam vidit, & inter ipsa se convenientium otiosa plerumque colloquia, intenta operi acum de manu facile non deponebat. Familiæ vero non optima solum constitutio, sed etiam splendor quidam ac dignitas ei maxime cordi fuit; quod ego quidem in fœmina nobili loco nata reprehendere non possum, nec in matrefamilias, quæ,

uti par erat, omni, qua honesta ratione posset, filiis prospiciendum censuerit suis, non summopere collaudare. Cum visendorum filiorum causa venisset Cremonam, familiæ suæ *Arborem*, quam appellant, accurate delineandam, & ad publici tabularii auctoritatem exigendam curavit. Requisita a me qua de causa id fecisset, respondit; *Sperare se eam rem filiis suis usui aliquando futuram*; addiditque; *Si quid hoc in genere foret, quod ingenuitatem proderet, nullo esse modo negligendum*.

XVI. Nec vero non aliis, præter illa, quæ hactenus persecuti sumus, prædita fuit ornamentis, quibus maxime enitebat, & supra vulgarium mulierum conditionem plurimum efferebatur. Lectioni valde dedita erat, qua & animum excoleret suum, & unde haberet, quod subinde ad audientium, & maxime liberorum utilitatem, pro temporis opportunitate, depromeret. Historicos sacræ Scripturæ libros e Latino in Italicum sermonem conversos legerat, penitusque memoriæ mandarat, qua felici admodum utebatur. Memini multa ex iisdem libris, cum nocturnis ego ei assiderem horis, mihi narrasse, & me ex ejus ore pendentem tenuisse sic, ut singularis ejus memoriæ vim suspicerem, & sacram eruditionem demirarer. Prudentiæ etiam laude excelluit, quam nulla fraudis suspicio corrumperet, & nativa quædam ingenuitas commendaret. Atque hæc prudentiæ laus privatis se-

ſepta parietibus non ſe continuit, ſed foras etiam in vulgus emanavit, & qua in urbe vixit, in ea ſingulari ejus virtutis opinione floruit. In agendis præterea tractandiſque negotiis non vulgari dexteritate valuit, & multa feliciter expedivit, quæ difficiles exitus atque explicatus habebant.

XVII. Quod autem ad indolem, atque animi habitudinem attinet, fuit, ſupra quam dici aut credi poteſt, mitiſſimo ingenio, & animo ſemper quieto ac pacato, ut ego nunquam, neque vero unquam, ut arbitror, quiſquam alius aut iratam viderit, aut aliqua minus recta permotione commotam. Rebus proſperis non inſoleſcebat, neque frangebatur adverſis; ſed mirum quendam in utramque partem tenebat modum. His rebus fiebat, ut omnibus cariſſima eſſet. Filios in primis habuit ſui amantes, & quantum humana infirmitas patitur, morigeros etiam atque obſequentes, apud quos, quamdiu vixit, tamdiu maternam retinuit auctoritatem. Filiæ vero eam dilexerunt plurimum, ſed omnibus eximia erga illam caritate Lucia præſtitit, quæ virgo nunc Deo ſacra in Piſaurenſi Franciſcano Cœnobio una cum ſorore Conſtantia vitam conjunctiſſime degit. Ego vero erga eam ſic affectus fui, ſic illam dilexi, ut mihi quidem videar nemini neque fratrum, neque ſororum mearum quidquam hac ipſa dilectione conceſſiſſe. Et ſane tempus omne vitæ meæ cum ea libentiſſime exegiſſem, nec ulla certe

propoſita, quatumvis vel maxime expetenda conditione, illam derelinquere unquam ſuſtinuiſſem, niſi divina, ut ſupra dixi, interceſſiſſet voluntas, quæ me ab ea divelleret, quod ego diſſidium, ingenue fateor, acerbiſſimum ſum expertus. Hunc filiorum amorem, etiam ſe exſtincta, ut foveret, ſui effigies exprimendas curavit duas, quarum altera juniorem, altera ætate provectiorem exhiberet, in quas intuentes filii & optimæ matris recordarentur, & ad ejus imitanda virtu tum exempla excitarentur.

XVIII. Generatim erga omnes comis fuit atque officioſa. Erga pauperes benigna, & pro facultatis modo liberalis. Alienæ parcebat famæ, & ſi quid narrari, uti fuit, audiſſet, quod in quaque re a quoquam peccatum eſſet, omni qua poterat ratione excuſabat. Erga famulos & famulas perinde ſe geſſit ac mater, & famuli illam ac famulæ viciſſim perinde ac matrem & vehementer coluerunt, & mirifice amarunt. Itaque nemo eam non caram habuit; domeſtici, externi, & quicumque demum, quibus nota fuit, cujuſcumque conditionis eſſent, ſingulariter illam inſigniterque dilexerunt. Audivi egomet ſæpe infimi generis mulieres quaſdam, domum, uti aſſolet, celebrantes, quæ eam nunquam non ſine præviis quibuſdam vocabulis eximium quendam amorem ſignificantibus appellabant, nec vero ejus perſequendis laudibus ſatiari poterant. Eximium amorem hunc & virtutes illi ſuæ, & ſuaviſſimi

ſimi mores, & comitas, & humanitas, & omnibus benefaciendi ſtudium merito conciliarunt.

XIX. Hanc porro vitæ rationem, quam hactenus deſcripſimus, & quam omni ex parte ad Chriſtianæ diſciplinæ normam exactam jam inde a primis annis inierat, & viro juncta, & eodem defuncto vidua tenuit; ſemper ſibimet conſtans, ſemper pia, ſemper religioſa, uno verbo Chriſtiana, quo vocabulo virtuter omnes comprehenduntur. Atque hæc quidem conſtantiæ laus cæteris mihi videtur ejus jure laudibus anteponenda, qua & infirmitatem mobilioris ſexus vicit, & omnibus nullo non vitæ ſuæ tempore ſe vehementer probavit. Singularem in modum, quoad vixit, conjunxit ea, quæ tametſi copulata ſunt inter ſe, ſæpe tamen, pro humana in deterius proclivitate, disjunguntur. Nam & quæ ſui muneris erant, optima mulier curavit ſemper, & quæ Chriſtiani officii propria habebantur, nunquam non in primis executa eſt; ut mihi quidem in ejus totius vitæ rationem animum intendenti nihil in ea requiri videatur poſſe, quod ipſa & ſibi primum, ut æquum erat, & optimæ liberorum educationi, & domus recte adminiſtratæ regimini, & familiæ demum bene conſtitutæ incremento non præſtiterit.

XX. Quæ optimam animi ſortita fuit, corporis etiam non minus optimam nacta eſt habitudinem. Uſque ad provectam ætatem proſpera ſemper uſa eſt va-

valetudine, quæ nec febribus, nec aliis morbis obnoxia unquam fuit. Multum tam proſperæ ſanitati contulit, & bene compoſiti animi quies, & ſumma in cibo ac potu temperantia. Poſtremis vitæ ſuæ annis tentari ejus cœpta eſt valetudo; ſed, qua erat firma atque integra conſtitutione corporis, & ſumma, quam dixi, in victu ſobrietate, morbos facile diſcuſſit, ſeque ab iis feliciter expedivit. Verum ingraveſcente ætate, cum ſuis nimium fideret viribus, & contra atque ii, quibus ejus vita erat cara, hortabantur, ſuimet ipſius curam negligeret, vitæ curſum, quem certe longius producere potuiſſet, intercepit. Cum vero ad Lauretanam ædem iter religionis cauſa ſuſcepiſſet, & inde Æſium filiæ viſendæ gratia, quæ illic in matrimonio collocata commorabatur, divertiſſet, iter illud valde incommodum experta eſt, atque adeo exitiale. Domum enim reverſa in morbum incidit, quo ſe explicare non valuit. Variæ fuerunt alternantis morbi viciſſitudines, quæ ſpem nunc afferrent, nunc adimerent, ſed is exitus fuit, ut eo demum exſtingueretur.

XXI. Graviter decumbens mortis aſpectu exterrita minime fuit; ſed bono conſcientiæ teſtimonio confirmata eam intrepido animo excepit. Medicorum artem, qua ſanitati reſtitueretur, non admodum requiſivit; immo vero ſe eorum opera non uſuram diſerte affirmavit, ſi proprio uti ſibi hac in re licuiſſet

ſet arbitrio. Ajebat enim; *Se parum medentum arti fidere, iiſque tantum ſuæ valetudinis curam permittere, ut filiis de ejus vita ſollicitis obſecundaret; cæterum nulla protrahendæ vitæ ſollicitudine teneri; ſe naturæ vixiſſe ſatis, exſpectare beatam ſpem, ad quam, Deo ac Deipara bene juvantibus, perventuram quam primum confideret.* Hos ſenſus in vitæ exitu conſtituta pia mulier & animo fovebat, & verbis ſignificabat. Dolores, quibus cruciabatur, patientiſſime toleravit, propoſito Chriſti e cruce pendentis, & Virginis Matris cruci adſtantis exemplo. Ingraveſcente vehementius morbo filios advocavit, eoſque extremum allocuta ad Chriſtianas virtutes omnes adhortata eſt; *Has certum eſſe patrimonium, has locupletem cenſum, his optime conſtitutas familias caſum atque interitum non pertimeſcere.* Divinam *Eucharistiam* morti propior ardenter expetivit, & ſumma religione ſuſcepit. Hoc Divino refecta viatico alacrior eſſe ad capeſſendum æternitatis iter viſa eſt; a ſuſcepta *Eucharistia* ſacro oleo inuncta fuit, & ſæpius *Sacramentali abſolutione* expiata. His peractis, cum nihil præterea curandum reſtaret, quod ei præſtitum ad animi ſubſidium non foret, inter adſtantium preces, & lacrymas pie e vita migravit ac placide. Ejus obitus incidit inter diem decimum quartum, & decimum quintum Februarii, hora noctis ſeptima, anno MDCCLXVII. Vixit annos LXXVIII. dies XXV., & vita, ut docui-

cuimus, pie ſanƈteque peraƈta, vitæ ipſi reſpondentem exitum naƈta eſt, deceſſitque plena non minus dierum, quam meritorum.

XXII. Ejus mortem ægro animo filii ejus ac filiæ tulerunt, optimam e vivis ereptam lugentes matrem, ſed luƈtum ſpe melioris commutationis vitæ conſolantes. Mihi vero nihil ejus obitu triſtius ad eum diem accidit atque acerbius. Sed jam edoƈtus nefas eſſe Chriſtiano homini *contriſtari de dormientibus, ſicut eos, qui ſpem non habent*; divinæ acquievi voluntati, ejuſque mortem ea, qua decuit, animi moderatione tuli. Lacrymis quidem indulſi, (neque enim erubeſco fateri ingenue hoc a me exſtinƈtæ matri præſtitum fuiſſe pietatis officium) ſic tamen, ut potiores iſtius ipſius pietatis partes implere, quam celerrime & diligentiſſime potui, ſtuduerim. Ut enim nihil ea, cum in vivis ageret, carius habui, ita, poſtea quam diſceſſit e vita, nihil mihi prius fuit, quam ut ejus animum modis omnibus expiandum curarem, quo citius, ſi quibus detinebatur laqueis, expeditiuſque ad beatam ac ſempiternam quietem evolaret. Itaque Sacroſanƈtum *Miſſæ* Sacrificium in Romanis Baſilicis, lociſque Martyrum memoria conſecratis pro ejus animi expiatione aut ſtatim a me, aut ab aliis efflagitatu meo oblatum fuit. Datis præterea ad amicos in omnem partem epiſtolis in ſanƈtioribus Italiæ, & vero etiam Europæ, atque adeo extra Europam ip-

ipſam locis ſimili modo pro ejus anima litatum eſt. Sexto ab ejus obitu nondum expleto menſe, hujuſmodi ſacrificia ad trecenta, & eo amplius numerabantur, nunc vero eorum ſumma fere ad nongenta excrevit, nec vero non augeſcet in poſterum quotidie magis. Ego ſane, optimæ matri bene precari, dum vivam, certe non deſinam. Amicis autem, quorum opera hac in re plurimum uſus ſum, magnam, immo maximam, me habere gratiam, & nunquam non habiturum profiteor. Verum ne hujus ipſius gratiæ memoria prorſus intercideret, compacto volumine, perſcriptoque uniuſcujuſque nomine, qui ſacrificia peregit, & notatis præterea locis, ubi ſacrificia peracta ſunt, perfeci, ut eorum erga me meritorum & monumentum aliquod exſtaret, & merita ipſa apud gratum ac memorem hominem recte collocata viderentur.

XXIII. His adjuta ſubſidiis tot ac tantis, quanta demonſtravimus, non dubito, quin eo jam evaſerit, ubi *cum Domino ſemper futura ſit*. Neque enim arbitror tam piam atque opportunam immittendam mihi a Deo fuiſſe cogitationem, ut illam tot undique conquiſitis ſacrificiis juvandam curarem, niſi ibi fuiſſet, ubi iis juvari poſſet. Quo loco, illud obſervare placet quam munifice actum a Deo cum ea fuerit ac liberaliter. Nam cum ejus filii, cui plurimum confidebat, præſidio, quo poſtea non indiguit, ſe libenter

ter propter Deum in vita orbari passa est, eodem post mortem, quo maxime indigebat tempore, destituta non fuit, ut præsidium hoc ipsum non illi fuisse tunc ereptum, sed ad commodiorem translatum opportunitatem ac reservatum videri possit. Præterquamquod paucula hæc, quæ de ea mandavi litteris, aliquam certe habere remunerationis speciem ducenda sunt; neque enim aliam ab illa, quam inivi, vitæ rationem ingressus, aut de his conscribendis fortasse cogitassem, aut si cogitassem, hac saltem tolerabili mediocritate conscribere potuissem. Multo quidem plura de ea scribi poterant, si conquirere studiosius notitias placuisset, sed his, quæ a me animadversa sunt, ut ab initio professus sum, contentus fui. Puto enim ob hanc ipsam caussam testatiora fore, quæ scripsi; & vero plura addere supervacaneum existimavi, cum hæc ipsa satis superque sufficere visa sint ad ejus imaginem fideliter exprimendam, quam non aliunde adscitis coloribus, sed meo veluti e penu depromtis effingere placuit. Malui enim matrem meam arbitratu potius meo, quam alieno expressam, hoc in commentario, tanquam in tabula spectandam lectoribus exhibere.

XXIV. Fortasse in hoc ipso summo illi, quo nunquam non eam prosecutus sum, amori, nimium indulsisse existimari potero, quod etsi filio de matre scribenti ignoscendum sit, non parum tamen de vera ejus laude deteret. Sed ego certe in scribendo illud ma-

maxime providi, ut ea solum, quæ mihi probe cognita erant, ac plane perspecta, omni ablegato fuco, sincere exponerem; nec quidquam magis cavi, quam ut ne falsam ei laudem affingerem. Si vero inter scribendum aliquid irrepsit, quod ad meam qualemcumque commendationem referri videatur posse, hoc, quidquid id est, primum ingenuitate mea excusabo, tum historiæ ipsius ingenio, quæ nihil simulat nec dissimulat, deprecabor. Neque enim propter aliquam laudum communionem prætermittenda ea duxi, quæ valere plurimum ad ejus virtutes significantius demonstrandas putavi. Mihi vero importuno cuidam pudori servire visus essem, si hac in re nimium religiosus, atque adeo ineptus fuissem. Cæterum, si quid est in me, quod aliqua dignari laude existimetur posse, id omne primum ad Deum, a quo tanquam a fonte in nos bona cuncta procurrunt, referri volo; deinde, secundum Deum, tribui piæ ac liberali parentum institutioni, unde illa ipsa, quæ in filiis laudantur, procedere solent atque profluere.

XXV. Jam vero, optatissima & desideratissima mater, quandoquidem ex hac terrenarum rerum turba, atque ex hujus sæculi contagione, non tam necessitate naturæ, quam opportunitate temporis evasisti, atque ad beatorum cœtum, quemadmodum mihi persuadeo, profecta es, quid restat, nisi ut hanc tantam tibi felicitatem, ut filium decet, ex animo gratuler. Ego quidem te, quo ad

ad uſque captiva in hoc *carcere mortis* fuiſti, caram habui; nunc vero, cum libertatem nacta ex eodem egreſſa vivas, & vita potiore vivas, multo etiam cariorem habeo. Fruere igitur tanto bono, quod tibi virtutes tuæ pepererunt; fruere, & totius ante actæ vitæ curſum reſpiciens, immortales immortali Deo gratias age, cujus ſingulari beneficio eum ſic inire, & tenere potuiſti, ut & tibi ad commendationem illuſtris, & filiis tuis ad inſtitutionem ſalutaris, & familiæ toti ad incrementum percommodus eſſet, quo feliciter peracto, tibi demum aditus ad æternam quietem beatitatemque pateret. Itaque jam non eſt cur ego tantam opportunitatem mortis lacrymis pergam ulterius proſequi, tuumque ex hac vita abitum inſolabiliter lugere; immo vero eſt, cur omnem mœrorem abſtergam, cur tua cauſa maximopere læter, migrationemque ex hac vita tuam omnibus & lætantis & exſultantis animi ſignificationibus celebrem. Interea vero, dum ego vivam, tui ſemper meminero, tua ſemper exempla recolam, & me ſuaviſſima tui, virtutumque tuarum recordatione conſolabor. Video, quocumque me vertam, omnia hic eſſe fluxa, caduca, interitura; nihil hic ſtabile, nihil certum, nihil ratum, nihil diuturnum. Sentio mihi jam, mea hac devexa præſertim ætate, aliud non eſſe reliqui, niſi eo aſpirare, ubi tu es, & ubi omnibus ſolutus curis vacuuſque moleſtiis tecum una beatus eſſe poſſim. Illa quidem cogitatio me

me vehementer angit ac torquet, non ſemper votis reſpondere eventus. Sed, ut incertus æternæ ſalutis exitus ſit, me tamen ipſe confirmo, & Deipara conciliatrice, cujus tu amorem jam inde a primis annis animo infudiſti meo, in certiſſimam ſpem adducor fore, ut talis mihi, qualem opto, contingat. Hoc cum evenerit, quidquam certe non erit, quod præterea expetam, & qui hac in vita diſtractus a te fere ſemper fui, tibi in altera perpetuo conſociatus adhærebo; nec vero non providentiſſimum Dei mirabor conſilium, qui res ita temperaverit, ut diſtractio tantum fuerit ad tempus, conſociatio vero ſempiterna futura eſſet.

XXVI. Hæc habui, quæ de matre mea litterarum commendarem monumentis. Eximio, fateor, in hoc obſecutus amori erga illam meo, qui reprehendi ſane non poteſt, & vero etiam pietatis nomine laudari debet. Hanc enim ei pro ſuis erga me promeritis referre gratiam volui, ut aliquid de ea ſcriberem, qui multa multis de rebus ſcripſi; & illud inſuper, mihi quidem jucundiſſimum, habere ſolatium placuit, ut quamdiu litterulæ hæ meæ durabunt ac loquentur, tandiu de matre mea non conticeſcant, ejuſque laudes perſequantur ac prædicent. Quanquam hujus ipſius conſilii auctor mihi fuit omnium longe certiſſimus, & graviſſimus, cui quidem refragari nefas eſt, Spiritus Sanctus nimirum, qui ad honorem matri exhi-

hibendum non hortatur solum, sed proposito etiam thesauro allicit. *Sicut* (Ecclesiast. cap. III. ver. v.) *qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.*

JOANNIS POMPEII MANZOCHII

AD

JOSEPHUM MARIANUM

PARTHENIUM

Ut defleto jam satis Caeciliae Somentiae Parentis optimae funere, carmen suum de Machina, ut ajunt, Electrica tandem edat.

Etsi me gelidus circum praecordia sanguis,
  Nec satis aoniis apta senecta modis
Jam moneat versus & ludrica ponere, caestus
  Trinacrium perhibent ut posuisse senem;
Attamen haud potui (neque enim fas esse putabam)
  Abnuere hoc sanctae munus amicitiae.
Scilicet, ut si qua possem, te, dulcis amice,
  Solarer grato carminis alloquio,
Defixamque alte moesto sub pectore curam
  Eximerem, atque pio fungerer officio.
Edere nam vulgo dum carmina docta parabas,
  Ætatis nostrae grande futura decus;
Jamque metu posito tandem, victoque pudore
  Plus aliis de te, quam tibi credideras;
Pierides dum serta parant pulcherrima, Vatis
  Mantoi sacrae cingere digna comas;
Heu! dulce hoc studium eripuit materna tibi mors,
  Expulit atque omnem pectore laetitiam.
Nec lacrymis caruere genae, dum cara recursat,
  Qua tibi nil poterat dulcius esse, Parens,
Osque illud bande arridens, & gratia fandi,
  Plurimus & nulla cultus ab arte decor,
Et genus, & mores casti, & sollertia mentis,
  Junctaque inosensae forma pudicitiae;
Et super haec, sobolem pietas quae fluxit in omnem,
  Dum sapiens, alios quod monet, ipsa facit.
Quae memori tecum volvis dum singula mente,
  Jucundis moeror sevocat a studiis;
Nec sinit ingenii dulces expromere foetus
  Perfusum tristi pectus amaritie.

Nec

Nec vero arguerim, tali quod Matre carentem,
    Dum bona tot recolis, cura dolorque premant.
Non hos ipsa tibi Mater mitissima sensus
    Indidit; exemplis non ita te erudiit
Ipsa suis, nullo ut suffundens lumina fletu
    Maternas venias durus ad inferias.
Sed meminisse decet, fuerat si causa dolendi
    Justa tibi, luctu sat, lacrymisque datum.
Ergo feret tua sola tibi jactura dolorem;
    Matri parta quies gaudia nulla feret?
Tu gemis; illa alto jam læta potitur olympo,
    Cumque bonis agitat gaudia Cælitibus.
Defuncta ærumnis tandem, defuncta periclis,
    Quod cupide optarat, Numine perfruitur.
Nec tamen est oblita suos. Te semper ab alto
    Et videt, & magno flagrat amore tui;
Teque suosque omnes exspectat, & anxia cælo
    Stipari densa percupit a sobole.
Forsitan ista tibi videantur fausta precantis
    Verba; ratam sed habent scilicet illa fidem.
Hoc animi pietas spondet, spectataque virtus;
    Hoc morum spondet candida simplicitas.
Quin terrenæ illi quicquam si labis inhæsit,
    Objecitque aliquam, dum petit astra, moram;
Non longa illa fuit certe mora; nam quid omissum
    Abs te, quod celerem pandat ad astra viam?
Ullane in urbe tibi restat jam sanctior Ædes?
    Ullane in extremae finibus Ausoniæ?
Sacra ubi non fuerit Divinaque Victima, Matri
    Quae requiem pareret, rite litata Deo?
Ergo age sume animos, tristes jamque abjice curas,
    Et repete abruptum morte Parentis opus.
An terret nostri censura severior ævi,
    Et bene quæ multos sors miseranda premit?
Nempe obversantur sexcenta poemata passim,
    Exposita heu? misere per fora, perque vias,
Nostrorum vitiosa patrum quæ protulit ætas,
    Turgida dum nimio fervet ab ingenio.
At modo sub dio squallentia pulvere multo
    Se minimo exspectant siquis emat pretio;
Nec tamen inveniunt, puerum nisi forte, venusti
    Quem lita frons auro codicis alliciat.
At non fata tuis sunt haec metuenda libellis,
    Quos nova materies, pieriusque lepos
Commendant. Stulti non hic tractantur amores,
    Quos neque laus colere est, nec cecinisse labor;
Non aulæ infidi mores, non mollia ruris
    Otia, queis Helicon Pimplaque tota sonat.
Sumant ista sibi, quos non respexit Apollo,
    Avia Pieridum nec loca adire sinit.
At, quae indicta aliis, conari hæc dicere primum,
    Hoc opus; hinc nomen claraque fama venit.
Ergo aliquid, Vir docte, novi cum promere velles,
    Deque argumento carminis ambigeres,

Ad-

Adfuit ecce tibi cum Pallade pulcher Apollo ,
Vibrantem flammas exhibuitque globum .
Atque hæc (mitte aliam fectari incertus & anceps)
Hæc tibi materies carminis , inquit , erit .
Ardua res certe , & lepidæ minus apta Poesi ;
Ut qui tantum audax aggrediatur opus ,
Ille per abruptas cautes , falebrosaque montis
Per juga , fufpenfo vix adeunda gradu ,
Audeat & choreas agitare , levefque movere
Ad numerum , veluti plana per arva , pedes .
Horrida fed Sophiæ quæ nunc dumeta videntur ,
Induftri fuerint fi modo culta manu ,
Vernabunt tibi flore novo, ceu Theffala Tempe,
Mirata infuetas fe dare delicias .
Nunc age , ab Electro quae traxit Machina nomen ,
Ingenio admoveat , quas jacit ipfa , faces .
Non ego , non dextro abfuerit tibi numine Pallas ;
Tu modo ne defis laudibus ipfe tuis .
Dixit ; & ipfe fuos tua fudit in ora lepores ;
Ingenio flammas addidit illa tuo .
Hæc mihi , fi nefcis , quæ interfuit ipfa Thalia
Narrabat , quin & res facit ipfa fidem .
Anne aliter poteras duras res atque feveras
Mollire, & blandis exhilarare modis ?
Cenforum huc opto veniat jam quilibet , etfi
Lagomarfino fe ferat ille parem ;
Omnes Parthenii follerti pectore verfus
Exigat ad normam , diffimuletque nihil .
Quid non Augufti dignum mirabitur ævo ?
Quid non , ipfe Maro quod velit effe fuum ?
Res nova ni prorfus , prifcifque haud cognita fæclis
Noftri hujus carmen temporis argueret .
Æquævum Caro quis non putet effe , vetuftas
Cæca quod ad noftram prefferit ufque diem ?
Neu mihi quis veteres fic laudet ametque poetas ,
Ut jam fæcla pares edere nulla queant .
En tibi Parthenius , Phœbo vel judice dignus ,
Qui veteres cultu carminis æquiparet .
Hunc igitur præfens , fera hunc mirabitur ætas ;
Donec honor pulchris artibus ullus erit .

JOSEPHUS MARIANUS PARTHENIUS
QUIDQUID HACTENUS SCRIPSIT
QUIDQUID IN POSTERUM SCRIBET
TIBI MARIA VIRGO DEIPARA INSCRIBIT
UT PER TE MEREATUR SCRIBI
IN LIBRO VITÆ.
